Observationes grammaticae in Paulini Pellaei carmen Eucharisticum

---

Dissertatio inauguralis
quam
ad summos in philosophia honores rite capessendos
consensu et auctoritate
amplissimi philosphorum ordinis
in alma litterarum universitate
Friderica Guilelma Berolinensi

scripsit

Charlotte Müller
Berolinensis

Examen rigorosum habitum est a. d. XII kal. Iul. anni MCMXXXII.
Dies promotionis: pr. id. Oct. anni MCMXXXIII.

Typis expressit Rudolphus Pfau, Berolini NW 7, Luisenstr. 21

Ad ordinem rettulerunt

Prof. Dr. Eduard N o r d e n

Prof. Dr. Ludwig D e u b n e r

Matri fidelissimae

S.

Rerum couspectus.

p.

Praefatio IX

C. I. De casibus 1

A. De accusativo: dies currere. incurrere damna.

B. De genitivo: genitivus partitivus accusativi vice fungitur in acc. c. inf. structura. Ex vel de genitivi loco ponuntur: pars ex, quid de.

C. De dativo: participare c. dat., attentus, studiosus, consonus c. dat.

D. De ablativo: ablativus durativus accusativi vice fungitur. De abl. temporis cum in coniuncto. — Pudere c. abl., expers, plenus, immunis c. abl. Gaudere ex, advertere ex, captare ex (de). Absolvere a, exuere a. Per ablativi loco usurpatur. — De abl. abs.: abl. abs. sententiae additamenti modo adiungitur. Abl. abs. et participium coniunctum vicissim ponuntur. Post c. acc. = abl. abs. Quamquam, quamvis c. abl. abs.

E. De nominativo absoluto.

F. De vocativo participii nominativi loco posito.

C. II. De pronomibus 12

A. De pronomine possessivo: pron. poss. saepius redundat. Proprius = meus vel suus.

B. De pronomine demonstrativo: hic = is, iste = hic, ipse = is (se), ipse saepius deum notat, idem = ipse. Idem = is Plin. epist. X 18, 2.

C. De pronomine indefinito: pronomen neutrius generis ad nomen feminini generis refertur (deliciarum, si qua ... parari possent). Post quidquid constructio κατὰ σύνεσιν adhibetur: quidquid ... potui meninisse, ... agnoscenda retexam.

C. III. De praepositionibus 17

III. De praepositionibus cum ablativo coniunctis: sperare de, excire de; pro condicione; sub instrumentale = mittels; sub condicione; super = de; iuxta cum.

III. De praepositionibus cum accusativo coniunctis: finem ponere ad, adcrescere ad; in finale; moenia usque, usque duo decennia.

III. De locutionibus cum praepositionibus iunctis: in quantum, in tantum, in vacuum; ad praesens.

p.

C. IV. De infinitivo 21
Invitare, legere (eligere) = constituere, praeponere = praeferre, sapere, sufficit c. inf. Profectus c. inf. Gnarus, impos, inscius, possibile est c. inf. — De acc. c. inf.: instruere c. acc. c. inf. = docere; timere c. acc. c. inf. Structura personalis miscetur impersonali: me mihi ipse videbar ... sentire profectum; sint tamen ista satis ... me esse profatum. Mihi fas est c. acc. c. inf. — De verbis, quae optimi scriptores cum infinitivo iungere aspernantur: cavere, compellere, dare, gaudere, mereri, nosse; sinere infinitivum activum pro acc. c. inf. passivo asciscit; suadere, poscere, labor est, dignus, indocilis, memor, promptum est.

C. V. De gerundio 31
Inpugnandi animo. De ablativo gerundii.

C. VI. De gerundivo 31
De usu praedicativo, qui latius funditur: debere, exponere, parare, retexere = referre, perurgere c. gerund. De gerundivo infinitivi futuri passivi loco posito. Subdenda putavi = subdidi. De dativo gerundivi: impendere curam, prodesse; attentus, studiosus c. dat. gerund.

C. VII. De participio 34
De participiis immoderate coacervatis. Part. praes. pro perf. substituitur. Tamquam, quippe c. part. — Part. praes. verbi e s s e voce p o s i t u s circuitur.

C. VIII. De genere verbi 37
Verba deponentia vel intransitiva passiva dicuntur: contestatus, emensus, expertus, indeptus, perscrutatus, praefatus; indultus. De part. perf. pass. sensu activo posito: suspectus = suspicans. O b l a t u s medialiter dicitur. — De verborum intransitivorum constructione gerundivi: gratulanda, operando, paenitenda.

C. IX. De temporibus et modis 41
Sperare c. inf. perf. Spero me abscedere posse = me abscessurum esse. De verbis quibusdam redundanter dictis: posse, videri (v. 539 = esse), mereri. — Voluisse probasti = velle probasti. Videor c. inf. perf. Fuerant recepti = erant recepti, al.; iuncta fuere = iuncta sunt, al. — Videro = viderim.

C. X. De consecutione temporum 47
Quanta ... gratia praestiterit, ... probavi. Visum autem neque illum tum, ... nec quemquam, fuerit spurius post qui meus, unquam. Cum fuerit ... contraria votis ..., fuit et defuncta dolori. Quam nec ... trahere fas mihi rebar parque nefat esset ... linquere.

C. XI. De interrogationibus indirectis 49
Nescio, si ... Ambiguus .., quid ...

C. XII. De sententiis relativis 51
Quippe qui c. ind. — De sententiis relativis que falso adiunctis. — Sententiae relativae particula copulativa enuntiatum adnectitur, cui pronomen relativum omnino non aptum est. — De pron. rel. ab initio sententiae longe remoto. Praepositio ante pron. rel. omittitur: vita in hac, qua nunc ego dego.

C. XIII. De sententiis, quae coniunctionibus subiunguntur 55
a) quod c. coni. vel ind., quia c. ind. — b) quamquam c. coni.
c) licet c. coni. imperf. (licet adiectivis quoque additur).
d) cum — et = cum — tum. Iam = cum iam. — e) donec „solange bis“ c. coni.
f) De ut causali et explicativo. Tutum est, ut. Conatus, ut.
g) De sententiis condicionalibus: si venerit — debet, al.; si sapio — gratulanda mihi sors est. — Si tamen c. coni. = si modo, scilicet si.
h) quominus raro adhibetur; quin omnino deest.
De parataxi hypotaxis loco posito: deprecor, adsis.

C. XIV. De particulis 63
A. De negationibus: nec = auch nicht, neque-etiam = ne-quidem, etiam non = ne-quidem (non etiam = nicht auch). Nec-que. Haut etiam = nondum. Nec alteri parti sententiae appositum ἀπὸ κοινοῦ ad priorem quoque partem pertinet. — Penitus ad vim negationis augendam adhibetur = omnino non, non prorsus.
B. De coniunctionibus: que redundanter ponitur (-que tamen, -que igitur, -que etenim). Et-que. Vel-vel = et-et. — Sed ad vim appositionis augendam dicitur. Sed post adiectivum cum particula concessiva coniunctum legitur: licet trepidus, sed audacter studui.

C. XV. De adverbiis 70
Adhuc = etiamtum; demum i. q. denique, postremo; e contra; si (seu) forsitan; iugiter; magis = potius; modo = nunc; praecipue; primitus i. q. ante omnia, potissimum; primus-deinde- tum; quam mox = quam primum; quantocius; quoque = etiam; specialiter; tamen = enim. De vocis tamen vi deminuta = sed; si tamen = si quidem, si modo. — De adverbiis numeralibus pro cardinalibus usurpatis; ter decies = ter decem. Unde = quam ob rem. — De particulis redundanter dictis: etiam quoque, quoque — et, que et.

Appendicula: De versibus 474 et 478 79

Index librorum.

Ahlquist: Studien zur spätl. Mulomedicina Chironis. Diss. Upsala 1909.
Antibarbarus der lat. Sprache von Krebs-Schmalz, Basel 1905/7.
WA Baehrens: Beiträge zur lat. Syntax, Philol. Suppl. XII 1912.
Bonnet: Le latin de Grégoire de Tours. Paris 1890.
Brakman: Observationes grammaticae et criticae in Salvianum. Mnemos. LII p. 113 sqq.
Brenous: Hellénisme dans la Syntaxe Latine. Paris 1895.
E Diehl: De M finali epigraphica. Jbb. kl. Phil. Suppl. XXV 1 sqq.
Georges: Lexicon d. lat. Wortformen. Lpz. 1890.
Goelzer: Latinité de St. Jérome. Paris 1884.
Hand: Tursellinus. Lpz. 1829/45.
W Havers: Zur Syntax des Nominativs. Glotta XVI 1927.
Hoppe: Syntax u. Stil d. Tertullian. Lpz. 1903.
Horn: Absolute Partizipialkonstruktionen. Lund 1918.
Kalb: Roms Juristen. Lpz. 1890.
Kaulen: Handb. zur Vulgata. Freiburg 1904.
Koffmane: Gesch. des Kirchenlateins. Breslau 1879 u. 1881.
Konjetzny: De idiotismis syntacticis in tit. lat. urbanis conspicuis. ALL XV 297 sqq.
L Kraus: Die poet Sprache d. Paul Nol. Diss. Würzburg 1918.
W Kroll: Wissenschaftl. Syntax. Berlin 1925.
Kühner-Stegmann: Ausführliche Gramm. d. lat. Sprache. II. Teil. Hannover 1914.
Kühner-Gerth: Ausführl. Gramm. d. griech. Sprache. Hannover—Lpz. 1904.
Lebreton: Langue et grammaire de Cicéron. Paris 1901.
Linderbauer: S. Benedicti Regula Monachorum. Metten 1922.
Fr Lohr: De infinitivi apud Stat. et Juvenal. usu. Diss. Marburg 1876.
Löfstedt: Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae. Upsala-Lpz. 1911.
— Beiträge zur Kenntnis d. späteren Latinität. Diss. Upsala 1907.
— Spätl. Studien. Upsala 1908.
— Tertullians Apologeticum. Lund 1915 u. 1918.
— Syntactica I. Lpz. 1928.
CFW Müller: Syntax d. Nominativs u. Accusativs. Hist. Gramm d. lat. Spr. herausg. von Landgraf, Suppl. Lpz. 1908. ibid. III 1: Blase: Tempora, Modi u. Genera verbi. Lpz. 1903.

M Müller: De Apollinaris Sidonii latinitate. Diss. Halle 1888.
Nägelsbach: Lat. Stilistik. 1905.
Neue-Wagner: Formenlehre d. lat. Sprache. Lpz. 1902/5.
Norden: Vergils Aeneis Buch VI, 3. Aufl. Lpz. 1926.
Pirson: La langue des inscriptions lat. de la Gaule. Brüssel 1901.
Roensch: Itala u. Vulgata. Marburg 1875.
Salonius: Vitae patrum. Lund 1920.
Schäfler: Gräzism. der august. Dichter. Amberg 1884.
Steinthal: De interpolationibus Plautinis. Diss. (Berlin) Göttingen 1918.
Stolz-Schmalz: Lat. Gramm. 5. Aufl. v. Leumann-Hofmann. München 1928.
Svennung: Orosiana. Diss. Upsala 1922.
Thesaurus linguae Latinae 1900 sqq. Vol. I—VI (d-duco, e-elaboro, g-gratificor).
Tidner: De particulis copulativis apud Script. Hist. Aug. Diss. Upsala 1921.

P.

Praefatio.

Initio huiusce operis, quod de Paulini Pellaei genere dicendi conscribere animum induxi, pauca de vita scriptoris praefari necesse habeo, praesertim cum, quis sit Paulinus ille, qui carmen Eucharisticum scripsit, non omnes noverint, etiamsi Latinis litteris eruditi sunt. Cum autem omnia, quae de Paulini vita scimus, e carmine ipso accipienda nobis sint aliis testimoniis nusquam exstantibus, cumque Paulinus ea ipsa, quae ad aetatem eius accurate definiendam pertinent, non distincte, sed obscure dicere et quasi adumbrare soleat, facere non possumus, quin ad coniecturas confugiamus[1]. Iamdiu inter viros doctos, qui Paulini aetatem definire conati sunt, eum affinitate cum Ausonio poeta coniunctum esse constat; quam sententiam ab Eberto (Gesch. d. christl.-lat. Lit. 1. Aufl. I. 389 ann. 1, 391 ann. 1) in dubium vocatam Brandes (Zeitschr. f. d. öster. Gymn. XXXII 1881 et in editionis praefatione) novis argumentis defendit. Quae adhuc a viris doctis enucleata sunt, breviter stringam neque singula sequar, praesertim cum quaestionem, quantum fieri potest, iam a Brandesio in editionis prolegomenis solutam esse censeam.

A v. 232 sqq. proficiscendum est, quo loco Paulinus hostes primum in Galliam invasisse dicit, cum triginta annos natus esset:

sed transacta aevi post trina decennia nostri
successit duplicis non felix cura laboris,
publica quippe simul clade in commune dolenda
hostibus infusis Romani in viscera regni
privata cum sorte patris de funere functi.

1. Ne nomen quidem Paulini, quod editio princeps praebet, codice unico B memoriae traditur; neque tamen est, cur id exstitisse negemus in codice altero nunc deperdito, quem Margarinus de la Bigne in editione principe secutus est.

Quam incursionem eandem esse, quam gentes Germanorum a. 406 fecerunt, non potest, ut puto, negari (cf. imprimis Salvian. VII 50 ed. Halm et Hieronym. ad Geruchiam ep. CXXIII 15 ed. Hilberg; Ludw. Schmidt, Gesch. d. Vandalen, Lpz. 1901 p. 22/23), neque Eberto assentiemur, qui Paulinum impetum Gothorum a. 412 designasse opinatus est (l. c. 2. Aufl. Lpz. 1889 p. 408 ann. 2). Ergo Paulinum a. 376 natum esse apparet. Eum Ausonii poetae, qui a. 379 consul factus est (v. fontes in Mommseni indice consulum MGH auct. ant. XIII vol. III p. 523), nepotem fuisse his ex verbis concludere cogimur:

v. 48 sq: *tunc et avus primum illic fit mihi cognitus, anni*
eiusdem consul, nostra trieteride prima.

Nunc autem quaeritur, utrum Paulinus e filio Ausonii Hesperio an e filia natus sit. Sed mater, quam in Graecia possessiones habere Paulinus v. 412 sqq. commemorat quamque natione Graecam fuisse verisimile est, Ausonii filia esse non potuit. Quod argumentum m. q. s. nullo modo, et ne deliberationibus quidem sagacissimis refutari potest (cf. Seeck Symm. p. LXXVII sq. et quod Brandes contra dicit praef. p. 267 ann.). Ergo Hesperium Paulini patrem fuisse probabile est. Quae si vera sunt, Hesperium a. 376/377 proconsulem Africae fuisse necesse est, ut e Paulini versibus 31/36 accipimus:

moenia Sidoniae Carthaginis usque venirem,
ante suum nono quam menstrua luna recursu
luce novata orbem nostro compleret ab ortu.
illic, ut didici, ter senis mensibus actis
sub genitore meo proconsule rursus ad aequor
expertasque vias revocor . . .

Leges autem, quas codex Theodosianus iis annis Hesperio datas enumerat quaeque ad quaestionem solvendam magnum momentum habere possunt, aut in magistratu aut in anno errare nemo est, quin videat; sic enim memoriae traduntur annorum ordine respecto:

a. 376 :	XV	7,3	Mart.	10	Hesperio	proc. Africae
	(XVI	5,4	Apr.	22	„	p p o Italiae)
a. 377 :	I	15,8	Jan.	21	„	p p o „
	VIII	5,34	Febr.	27	„	p p o „
	I	32,2	Jul.	8	„	proc. Africae

Sequuntur certae leges sex anni 379 Hesperio praefecto praetorio datae. — Quibus e legibus Hesperium et re vera a. 376/377 proconsulem Africae fuisse (cf. leges XV 7,3 et I 32,2) et iam ineunte anno 377 praefecturae munus obisse (cf. leges I 15,8 et VIII 5,34) simul probari potest. Offensionem viri docti variis modis tollere conantur: Mommsen epistulam XVI 5,4 ordini temporum minime aptam in magistratu potius quam in anno errare putat et eam proconsuli Africae mitti vult, duas autem constitutiones I 15,8 et VIII 5,34 subscriptione mutata anno 379 attribuit[2], cum Brandes VIII 5,34 proconsuli Africae datam esse contendat et I 15,8 alteri nescio cui Hesperio adscribat. Ego quidem non video, cur Mommsenum non sequamur, quippe qui, quamquam Paulini carmen in rationem omnino non inducit, legibus emendatis rem ad id perducat, ut etiam Paulini narrationi optime quadret. Hesperium enim alterum, quem Brandes argumentis sagacissimis probare conetur, fictum hominem et inanem esse suspicor. Utcumque autem res se habet, nihil, ut mihi videtur, obstat, quin Brandesio Paulinum Ausonii nepotem fuisse ex Hesperio natum concedamus.

Ergo Paulinus christiana familia amplissima natus est; parentes eum educatione liberaliter instituerunt (cf. v. 63 sqq, 113 sqq); neque prima aetate ab erroribus adulescentiae eum liberum fuisse vv. 143—175 docent, denique uxore ducta agriculturae se dedit. Quae vita finita est incursionibus Germanorum, imprimis Gothorum, qui paulatim eum omnibus possessionibus privaverunt, ut postremo ad paupertatem redigeretur. Primo autem multum valuit apud Gothos, qui eum, cum homo ditissimus esset, sibi conciliare conati sunt et variis honoribus oneraverunt. Quin etiam comes privatae largitionis ab Attalo nominatus est. Neque tamen, cum Burdigala deleretur, ei bonisque eius pepercerunt, sed cum tota familia ex urbe expulsus est. Tum Vasates profectus in patriam maiorum de re publica bene meritus est, cum sua sponte regem Alanorum amicum suum a Gothis, qui urbem oppugnaverunt, abalienaret et efficeret, ut Gothi obsidione Vasatum desisterent (vv. 328—405). Cuius eventus Paulinus solus auctor est, nec usquam alibi Burdigalam

2. cf. quod ad leges illas annotat, praecipue ad I 15, 8.

a Gothis crematam esse memoriae traditur. — Postea, cum Gothis quasi colonis agri assignati essent, maxima parte possessionum amissa Massiliae praediolum sterile colere coepit. Neque vero fundus fructum speratum tulit, et postremo, postquam uxor filiique, in quibus omnem spem salutis posuerat, morte ei abrepti sunt, res eo pervenit, ut ab alienis sustentaretur (cf. v. 560). — Sed hactenus de rebus externis, quae ad Paulini vitam pertinent; iam pauca de studiis religiosis, quibus deditus erat, nobis addenda sunt: Cassiani praecepta tum in Gallia meridiana florentia Paulini animum adeo commoverunt, ut sectam eius viginti annos usque ad annum fere 425 (cf. infra p. 79 sqq.) sequeretur. Tum autem Cassiani doctrina haeresi cognita ab Semipelagianismo defecit et verae christianae fidei ab Augustino doctae rursus addictus est (vv. 468 sqq.). In fine vitae omne perfugium subsidiumque in religione christiana sibi posuit.

Postquam ea, quae Paulini carmen Eucharisticum continet, Rocaforti scriptis diligenter pervestigata sunt (J. Rocafort, De Paulini Pellaei vita et carmine, Thesis Bordeaux 1890; id. Un type Gallo-Romain, Paulin de Pella, Paris 1896), nunc tempus est de sermonis Paulini proprietatibus quaerere, praesertim cum editionem optimam habeamus Brandesi, qui primus codicem unicum B respicit contra priores editores, qui Bignei textum receperunt. Paulinus, quippe qui litteris Graecis Latinisque satis doctus sit, lingua utitur hominis eruditi illius aetatis; quamquam leges metricas passim neglegit, vestigia poetarum insignium quam maxime sequi conatur, praecipue nimirum Vergilii; e posterioribus Ausonii et Paulini Nolani opera ei familiarissima sunt. Neque vero deesse, quae a sermone puro aliena et loquendi consuetudini depravatae vitiosaeque posterioris tantum aetatis usitata sunt, hoc opusculo demonstrare in animo habeo. Scripta, quae adhuc de Paulini Pellaei genere dicendi agunt, haec duo sunt: Léon Devogel, Étude sur la latinité et le style de Paulin de Pella (Revue de l'université de Bruxelles III 1897/98 p. 515 sqq., Charles Caeymaex, le style de l'Eucharisticos de Paulin d. P. (Musée Belge II 1898); ex quibus fructum aliquem capere omnino non potui, cum rem longe aliter aggrediantur: stilum enim tantum respiciunt syntaxi prorsus neglecta. Brandesi index verborum solus mihi fuit adiumento ad usum optimo.

C. I. De casibvs.

A. De accvsativo.

v. 2 sq.: *gesta dierum / ambigua . . quos sorte cucurri.* — Accusativus obiecti interni a verbo *currendi* pendens, velut in elocutione *cursum currere* omnibus temporibis usitatissimus est (CFW Müller, Nom. u. Acc. p. 22), nullo autem loco de vita agenda verbum currendi cum obiecto interno coniunctum dicitur ante aetatem christianam, ut in Vulgata, apud Paulin. Nol., Augustinum, al., qui *viam currere* pro *vitam agere* adhibent. Denique apud Paulin. Nol. carm. 33,12 et Orient. comm. 2,96 *vitam currere,* hoc Paulini Pellaei loco *dies currere* invenimus. (Thes. ling. Lat. 4, 1511, 28 sqq, 1516, 39 sqq). Quibus ex locutionibus primariam verbi currendi vim, quae obiectum ad locum, non ad tempus spectans desiderat, posterioribus temporibus obsoletam esse intellegi potest[1].

v. 168: *famaeque timens incurrere damna.* — Accusativus nudus post verbum *incurrendi* positus raro in Sallustii, Livii, Taciti scriptis invenitur (Kühner II 1, 267, II 2, 633 ad. extr. CFW Müller l. c. 137). Cicero incurrendi vocem semper cum praepositione *in* iungit. Incurrere cum accusativo rei coniunctum, velut *errorem, periculum incurrere* notione *incidendi in aliquid* tantummodo apud posterioris latinitatis scriptores exstat (cf. Antibarbarum s. v. Claud. Mam., Eugipp., Hier., Cyprian., Paneg., al.)

---

1. Longe aliter iudicandum est de iis, quae exstant in Vergilii ecl. 4,46 'talia saecla', suis dixerunt, 'currite' fusis, quo uno loco in florenti quam dicimus latinitate obiectum tempus significans voci currendi adiungitur. Hic enim poeta more suo simplex usurpavit pro composito: decurrere vitam, aetatem sim. usitatissima sunt. Quae cum ita sint, neque Servio assentiemur, qui currere sensum habere causativum = volvere contendit, neque Coningtoni sententiam accipiemus, qui talia saecla nominativum dicit et sic intellegit cum talia sitis, currite.

B. De genitivo.

praef. 3[1]. *sciens benignae misericordiae circa me fuisse, quod* ... „wissend, daß (etwas) von seiner gütigen Barmherzigkeit um mich gewesen ist". Agitur h. l. de genitivo partitivo e nullo nomine pendente, qui accusativi vice in accusativi cum infinitivo structura fungitur. Qui genitivus partitivus sine vocabulo, ad quod refertur, positus etiam in dialectis italicis, in iisque subiecti quoque loco obvenit, cum in lingua Latina obiectum solum sit (Hofmann, Lat. Syntax p. 390, 2) velut pluribus Plauti et Terentii locis (e. g. Plaut. Amph. *672 nunquam . . . tu mihi divini creduis,* al.), apud Ennium ann. 235 *mensam sermonesque suos rerumque suarum / ... impertit,* et Catonem de agr. 74: *farinam in mortarium indito, aquae paulatim addito subigitoque pulchre.* Posterioris latinitatis exempla Löfstedt affert (Komm. zur peregrinatio Aetheriae p. 108 sq.): Ven. Fortun. carm. VI 5, 168 *si venit, ipsa mihi nuntiet aura boni,* id. append. 4, 6 similiter, et nonnulla exempla e mulomedicina Chironis sumpta. Praeterea in opere quod *Syntactica* inscribitur 1928 p. 117/118 idem vir doctus locum affert e Benedicti regula monach. (cf. Linderbauer, Komm. zur regula Benedicti p. 313 sq.) et e Lucifero Calaritano. — Adhuc autem nullus locus praeter Paulini Pellaei notus est, ubi genitivus partitivus accusativi vice in accusativi cum infinitivo structura fungitur. Salonius vit. patr. p. 90 voces partitivas — sed voces dicit, quae cum praepositionibus iunguntur-paene omnibus locis obiectum, non subiectum esse annotat. Tamen huiuscemodi voces partitivas subiecti munere fungentes apud Gregorium Turonensem mart. 40 p. 514, 12 (Arndt-Krusch): *est hic, ut res ipsa docet, de officiis quorumpiam deorum* (cf. Bonnet p. 611) et in Vita Aridii (Mabill. 202) invenimus: *ampullam in qua de oleo beati Martini continebatur* (cf .Roensch, Itala u. Vulgata p. 396). — Salonius l. c. 91 contra Ahlquistum (mulom. Chir. p. 27) recte, ut mihi videtur, docet nihil in hoc Latino usu genitivi nudi linguam Graecam valere; posterioribus enim temporibus genitivus partitivus in lingua Graeca ἐξ, ἀπό, ἐν prae-

1. Ut oratio soluta facilius discernatur a versibus, praefationis loci typis crassis notantur.

positionibus explicatur. Genitivus partitivus nudus sermonis Latini vulgaris, ut exempla e Plauto sumpta demonstrant, proprius est; cuiusmodi genitivos apud scriptores optimos nusquam lectos in posteriore latinitate renovatos esse Löfstedt (Synt. p. 117) exponit.

De praepositionibus, quae genitivi partitivi vice funguntur.

v. 422: *vel mihi pars aliqua* e x *rebus superesset avitis.*

v. 534: *ne quid* d e *spatio terrae minuisse viderer.*

Praepositiones *de* vel *ex* genitivi partitivi loco positas et ex nominibus et ex verbis pendentes iam antiquiore aetate interdum invenimus, cf. exempla, quae Hofm. 392, 2 ex Plauti Catonisque operibus affert, praeterea locos, quos Roensch Itala u. Vulgata 426 e Terentio et Cicerone sumit, ubi *pars* cum praepositione *de* coniungitur (Verr. II 1, 12 *partem de istius impudentia reticere)*. Quem praepositionum usum scriptores posteriores frequentant, ut Greg. Tur. (cf. Bonnet 611), qui praepositiones etiam post *partem* et *aliquid* positas usurpat. Apud Paulinum Pellaeum v. 534 *de* fortasse adhibetur, ut duplex genitivus *(spatii terrae)* evitetur; cf. etiam supra Ciceronis locum, quo *de istius impudentia* pro *istius impudentiae* dici apertum est.

C. De dativo.

v. 563: *nostra aliis debemus participanda.* — Dativus personae (vel rei) e verbo *participandi* pendens non legitur nisi apud auctores posteriores, velut Auson. parent. XI 16 (p. 46 Sch): *mala non cuiquam, non bona participo* et apud scriptores ecclesiasticos. Paulini Pellaei loco verbo *debendi,* quod dativum exigit, fortasse efficitur, ut etiam *participare* dativum asciscat. — v. 507: *fructus mecum participando,* praepositio *cum* verbum *participandi* consequitur. Ea quoque structura, nisi fallor, ab optimis scriptoribus aliena est: legitur inde a Livio III 12, 5, deinde in posteriore latinitate adhibetur. — Verbum

ipsum apud priscos scriptores exstat, perraro in florentis latinitatis scriptis invenitur, pluribus Livii locis, saepius inferioribus temporibus usitatum (cf. Antib. s. v.). Optimi scriptores *participandi* loco verbo *communicandi* utuntur, quod posteriores demum cum dativo coniungunt (v. Antib. s. v.). De *debeo participanda* = *participo* cf. infra quae ad gerundivum pertinent p. 32.

v. 213 sq: *nec... his (sc. bonis).. attentior amplificandis, / quam conservandis studiosior.* — Adiectivum *attentus* cum optimi scriptores uno Horatii loco excepto (sat. II 6, 82; *attentus quaesitis*) non usurpent, posterioris latinitatis proprium est, ut Apuleii, Ammiani, Augustini, al. (Thes. II 1123, 45 sqq.). Etiam dativus verbo *attendendi* adiunctus tantum argenteae latinitati et posterioribus scriptoribus familiaris est (cf. Antib. s. v. et Kühner II 1, 270: inde a Vitruvio). Apud Lucilium autem bis *animum attendere dictis* (v. 693 et 851 Marx) invenitur; primo igitur dativus in sermone cottidiano quibusdam in locutionibus verbo attendendi formatis usitatus fuisse videtur, deinde posterioribus temporibus scriptores eo creberrime verbo attendendi adiuncto utuntur. — Adiectivum *studiosus* cum dativo, ut *studere,* iunctum posterioris aetatis proprium est, velut Iustini (Hofm. 404, 4), cum Plauti locus (mil. 802) subditicius sit (Steinthal, de interpol. Plaut. 28). — De gerundivo post adiectiva *attentus* et *studiosus* posito v. infra pag. 34.

v. 94 sq: *consona si nostri primo sub tempore votis / hac in parte etiam mansissent vota parentum.* v. 223 sq: *praesentia nostra / . . . paribus perdurans consona votis.* — De voce *consonus* cum dativo posita cf. Thes. IV 484, 61 sqq: verbum et propriam significationem obtinens et metaphorice dictum posterioribus scriptoribus familiare est, e. g. Cypriano Gallo, Ausonio, Ammiano, Claudiano, Paulino Nolano, Sedulio, al. Optimis temporibus et in argentea latinitate adiectivum *consonus* et proprie (velut *clangor consonus* apud Ovidium) et translate dictum *(consonum* i. q. *aptum,* Cic.) semper absolute ponitur. Verbum quoque *consonandi* cum dativo coniunctum ex poetarum et argenteae latinitatis scriptorum more est, plerumque absolute ponitur. Cf. Kühner II 1, 328.

D. De ablativo.

I. De ablativo temporis.

Ablativus durativus vice accusativi optimis scriptoribus frequentati fungitur v. 189 sq: *vix paucis domus indeptae exercere diebus / gaudia.* v. 223 sq: *maiore ut parte anni ipsis praesentia nostra / serviret.* — De ablativi durativi usu Löfstedt Komm. p. 51 sqq. disserit: primum apud Catullum 109, 5 invenitur, in prosa apud Caesarem. Vergilius et Horatius semper fere more veterum accusativum usurpant, cum apud Ovidium iam ablativus praevaleat; imitatores scriptorum veterum rursus accusativum in usu habent, ablativus apud posteriores passim legitur. Cf. etiam Kroll Wiss. Syntax p. 357: apud Ciceronem quoque paucis locis ablativus exstat, in argentea latinitate in primis Scribonio usitatus est. Cum accusativus in posteriore lingua universe prorsus neglegatur, tum etiam Paulinus Pellaeus tantum ablativum in usu habet. (Hofm. 452, 4 et 382, 1).

De ablativo temporis cum praepositione *in* coniuncto.

v. 170 et 438: *illo in tempore.* v. 99: *venturo in tempore.* v. 284: *in tempore duro.* In sermone vulgari et apud poetas, qui eo utuntur (veluti Catullus, Lucretius, Propertius), *in* praepositio ablativo temporis addita iam diu ablativo nudo praefertur, neque tantum, si ablativus sine attributione ponitur. (Hofm. 452, 2 et 3). Posteriores scriptores semper *in* scribunt ad discernendum hunc ablativum ab ablativo durativo. Cf. Salonium vit. patr. p. 131.

II. De ablativo causae.

v. 87: *pagina . . . mihi non rebus, quantum confido, pudenda.* — Apud *pudet* ablativus causae genitivum loco movit iam in Corneliae epistula fr. 2: *ecquando perpudescet . . . miscenda re publica?* Tum Prop. IV 4, 36: *probro Vesta pudenda meo.* (Plauti locus Bacch. 379 subditus est) cf. Hofm. 407, 4. Paulini Pellaei quoque aetate raro ablativus e verbo pudendi pendens exstat, velut apud Ausonium XXIV 2, 85 Sch: *quod pube pudenda / Hellespontiaci ridetur forma Priapi.*

III. De ablativo ex adiectivis pendente.

v. 98: *carnis . . . inlecebris breviter praesentibus expers.* v. 492: *iam dudum cunctis affectibus expers.* — Ablativus adiectivum *expers* consequens in priscorum scriptorum, velut Plauti usu est, cum scriptores probati genitivum tantum admittant, cf. Antib. s. v. Structura igitur semper sermonis vulgaris propria florenti latinitati ignota est, posterioribus temporibus rursus in litteras se insinuat.

v. 211: *stabula . . . iumentis plena refectis.* — Optimi scriptores rarius ablativum quam genitivum usurpant, cum apud posteriores ablativus genitivo praeferatur; velut ablativus apud Gregorium Turonensem praeponderat, cf. Bonnet p. 601. Antib. s. v. Hofm. 403, 4.

v. 320: *quod nos immunes poena paterentur abire.* — Consuetudo loquendi inter genitivum et ablativum inde ab Ovidio fluctuat. Optimis temporibus adiectivum *immunis* tantummodo absolute usurpatur, cf. Hofm. 405, 1; Kühner II 1, 374. In posteriore latinitate ablativus comparatus ad genitivum praevalet; itaque e Paulini Pellaei aequalibus veluti Cassianus saepius ablativo quam genitivo, Salvianus tantum ablativo utitur. Uterque autem plerumque adiectivum *immunis* cum praepositione *ab* iungit. Cf. indices, quos Petschenig et Paulig editionibus addiderunt.

IV. De *ex* praepositione ablativi instrumenti loco posita.

v. 140: *sufficeret quibus ex nostra gaudere salute.* — Structura argenteae et in primis posteriori latinitati familiaris est, ut e locis in Thesauro VI 1707, 33 sqq. allatis elucet: Sen. epist. 59, 4: *ex honesta causa gaudere;* Claud. Don. Aen. 11, 440 p. 482, 25: *ex adversis meis g.;* August. civ. 14, 2 p. 4, 17 D: *ex voluptatibus;* Cod. Theod. 16, 2, 16, a. 361.

praef. 4: *ex ipso libelli titulo praenotato evidenter debet advertere.* — Similiter vocabulum *advertendi* praepositiones pro ablativo instrumenti asciscit apud hos posterioris modo aetatis scriptores: *ex:* Faust. Rei. spir. 1, 13 *adverte deum ex operum*

dignitate; de: August. civ. 21, 26 *de similitudine; per:* Victor metrol. 1 pag. 87, 8 H *per discretionem.* Cf. Thes. s. v.

v. 134: *instrumenta . . . , / ex quibus optatam possem captare salutem.* praef. 1: *gesta . . . , de quibus aliquam possim captare gloriolam.* — Hoc quoque verbum probati scriptores cum ablativo instrumenti coniungunt; cum praepositionibus *ex* vel *de* solum in argentea et posteriore latinitate construitur ita, ut *ex* praeferatur *de* praepositioni, quae dumtaxat aliquotiens inferioribus temporibus exstat, cf. Thes. s. v: Tert. adv. Hermog. 31; Flor. IV 2, 61; Hieron. in Ephes. IV. 11 p. 616; Min. Fel., Paul. Nol., Hygin. Posteriore igitur aetate apud verbum *captandi ex* praepositio, quae in argentea latinitate ablativi instrumenti vice fungitur (primum apud Senecam dial. 9, 9, 6 secundum Gertzii coniecturam), cum *de* contendit. Etiam Paulinus Pellaeus utramque structuram vicissim adhibet. De praepositionibus *ex* et *de* inter se certantibus disserunt Hofm. 526, 4, Löfstedt Komm. 104. Praeterea vide infra caput, quod *de praepositionibus* inscriptum est.

V. De ablativo separationis *ab* praepositione e loco moto.

v. 363: *seque ab ipsorum cupiens absolvere iure.* — Optimis temporibus ablativus e vocabulo *absolvendi* pendere solet. Personam *ab* praepositione solum Cicero Rosc. com. 36 et Seneca epist. 81, 4 adiungunt. Contra posteriore aetate inde a Sulpicio Sev. res quoque, qua absolvitur, crebro *ab* praepositione exprimitur. cf. Kühner II 1, 373; ALL V 543; Thes. s. v. Iamdudum in sermone vulgari praepositiones *de, ex, ab* in separativi locum succedunt (Hofm. 420). Apud verbum *absolvendi* in posteriore demum latinitate, ut exempla, quae supra attulimus, docent, praepositiones ablativum plane summoverunt.

v. 426 sq: *a quo se exuere admisso nec nomina possunt / cara mihi.* — Cum *exuere* vulgo cum ablativo construatur, Cicero saepius *ex,* Ovidius semel *de* admittit. Ex Paulini Pellaei aequalibus Cyprianus Gallus semel verbum *exuendi* cum *de* coniungit (Num. 355). *a* praepositio rarissime occurrit,

veluti praeter Paulini locum apud Arnob. adv. gent. I 53: *exutus a corpore.* Praepositio *ex* igitur, e qua ex-uere compositum est, vim suam posterioribus temporibus non retinet. De separativo in inferiore latinitate cum praepositone *ab* compensato agit Hofm. 437, 4.

VI. De *per* praepositione ablativi loco usurpata.

v. 225: *communemque parans per mutua gaudia fructum.* Hic *per* pro ablativo causae ponitur: meine Gegenwart bereitete gemeinsamen Nutzen wegen unserer beiderseitigen Freude. Cuius loquendi usus initia iam in Plauti comoediis inveniuntur, velut *per amorem, per metum,* loci autem memorabiliores posteriore demum aetate leguntur (Hofm. 438, 3). *per causale* quasi cognatione propinqua cum *per instrumentali* coniunctum esse exposuit Ahlquist mul. Chir. p. 66.

v. 551: *plurima subtracto . . . per dispendia censu.* — Usus notabilior *per* praepositonis ablativi instrumenti loco dictae posterioris latinitatis proprius est, cf. Hofm. 438, 3 et Ahlquist p. 65: in mulomedicina Chironis *per* pro ablativo instrumenti in primis eis locis ponitur, ubi cum substantivo verbali abstracto iungitur.

v. 260 sqq: *invitant adversa tamen per nostra tuorum / cognita donorum solacia, Christe, bonorum / . . . tua munera fando / prodere.* — *per* praepositio in florenti latinitate verbum cognoscendi non comitatur, nisi de persona intercedente agitur, ut Caesar saepius *per exploratores cognoscere* dicit. Apud Tacitum demum aliquid Paulini Pellaei loci simile legimus: hist. II 87: *per obsequia Vitellio cogniti.* Generatim etiam *cognoscere* ablativum instrumenti desiderat, qui iam optimis temporibus structuris praepositionibus *ab* vel *ex* formatis cedit. Cf. Thes. s. v.

VII. De ablativo absoluto.

Paulinus Pellaeus et ablativos absolutos et alias structuras participales frequentare et coacervare solet. In primis v. 323 e. q. s. memorabiles sunt, ubi versus primus duos ablativos inter

se commixtos continet: *inlaeso penitus nullo adtemptante pudore,* cum in versu, qui sequitur,tertius ablativus absolutus enuntiato in supplementi modum addatur: *me graviore tamen relevato suspicione* . . . — Ablativum absolutum pro additamento adhiberi multo etiam facilius e versibus 345 sqq. intellegi potest, ubi *spes* substantivum ex eadem radice qua verbum *sperandi* formatum cumque pronomine demonstrativo coniunctum sententiam, quae antecedit, accuratius explicat: *subrepsit (mihi) . . . novus error, / ut me praesidio regis dudum mihi cari . . . / urbe ab obsessa sperarem abscedere posse / agmine carorum magno commitante meorum, / hac tamen hos nostros spe sollicitante paratus, / quod scirem imperio gentis cogente Gothorum / invitum regem populis incumbere nostris.* Quam verborum structuram Paulini Pellaei sermonis propriam esse mirum non est, praesertim cum, quod sentit, periodis perspicuis exprimere vix possit. Secundum Hofm. 448, 1 ablativus absolutus, qui sententiae additamenti modo adiungitur, rarus et paucis Taciti locis similibus exceptis praecipue in posteriore latinitate usitatus est.

Ablativus absolutus et participium coniunctum vicissim positum — ut v. 516 sqq.: *atque ita subtracta spe omni solaciorum . . . / cunctaque sero probans a te magis esse petenda* —, apud rerum scriptores, Sallustium, Livium, Tacitum, Suetonium, etiam posterioribus temporibus, ut apud Vict. Vit. invenimus. (Hofm. 604, 1).

Praepositio *post* cum accusativo iuncta idem valet atque ablativus absolutus: v. 232 *sed transacta aevi post trina decennia nostra* . . . — Structura non est nova, sed frequentius posteriore aetate quam prioribus temporibus adhiberi videtur; veluti Gregor. Turonensis eam adamat, cf. Bonnet p. 595 et Hofm. 601, 2; 608, 3.

De coniunctionibus ablativo absoluto adiunctis. — v. 502: *Gothico quamquam consorte colono.* v. 418: *quamvis profusis dominis nimiumque remissis.* — Et *quamquam* et *quamvis* coniunctiones ablativo absoluto additae in argentea demum latinitate leguntur, cf. Hofm. 448, 2, Kühner II 2, 445.

E. De nominativo.

De nominativo absoluto.

v. 150 *sqq: quotiens evasero casus / abruptos recolens — Christi me munere fas est / credere servatum . . .* — Hoc loco participium praesentis *recolens* consensui casuum repugnat. Quos nominativos absolutos maxime participio praesentis formatos esse docet Löfstedt Komm. p. 159. Structura viget in posteriore demum latinitate et primum quidem in Luciferi Calaritani operibus (Hofm. 449, 4—450, 1; Bonnet 565). Exempla abundant in Gregorii Turonensis et Venantii Fortunati scriptis, praeterea apud Chironem, Priscillianum, in Peregrinatione Aetheriae, apud Victorem Vitensem, Ennodium, al. Sed omnibus temporibus nominativi absolute positi exstant, qui variis modis, ut per anacoluthum, per confusionem duarum constructionum, aliter intellegendi sunt cf. W. Havers, Zur Syntax des Nominativs, Glotta XVI 1927 p. 94 sqq. Paulini Pellaei loco constructio minus accurata eo explicari potest, quod subiectum grammaticum et quod nos dicimus psychologicum inter se contendunt, id quod apud locutiones impersonales, ut *fas est,* facile fieri potest. Duae enim dictiones, quas scriptor simul in animo habet, in unum confunduntur: *fas est me credere* fere idem ac *credere debeo* valet. Similia exempla Horn affert (Absol. Partizipialkonstr. Lund 1918 p. 63): Ennod. V. Antoni 6 p. 186, 17 Vogel: *beati Antoni narraturus insignia primum sancti spiritus mihi maiestas invocanda est= invocare volo.* Praeterea Act. Petr. c. Sim. 28 (75, 23 Lips.): *audientes autem haec universis iustum illis visum est=iustum existimaverunt.* Cf. etiam locos Graecos et Latinos ab Hornio l. c. p. 67/70 collectos, quibus participia postposita absolute dicta leguntur. Quaestio, utrum hae constructiones graecismi an genuinae structurae Latinae habendae sint, ita solvenda est (cf. ibid. p. 77): Latina quoque lingua ad tales structuras solutiores adhibendas iamdudum inclinabat et in primis lingua vulgaris et posterioris aetatis, cum cogitandi loquendique genus vulgare et a regula grammatica alienum in litteras infunderetur, cumque casuum flexio neglegeretur et plerumque nominativus participii praesentis in usu esset (cf. Horn l. c. p. 11, Havers

p. 126). Quae omnia nominativis absolute positis favent. Graeci usus loquendi imitatio in scriptis tantum ex graeco translatis cognosci potest, ubi nominativi absoluti structura saepissime obvenit. (cf. Horn p. 78). Ergo nominativus absolutus structura genuina linguae Latinae est, quae in posteriore latinitate variis de causis, quas supra commemoravimus, late funditur[1].

F. De vocativo.

v. 566: *solari es dignate, deus* (sic verba emendanda sunt secundum Brandesi correctionem; solarier cod.). Vocativus adiectivi vel participii pro nominativo praedicativo positus inde ab Augusti temporis poetis ex Graecae consuetudinis loquendi imitatione saepe metri causa adhibetur, in posteriore latinitate frequentissimus est (Hofm. 373/74). Verbum ipsum, ut Paulini loco, vocativo inde ab Ausonio exprimitur prof. IX 6, p. 62 Sch. *Iucunde . . . / es meritos inter commemorande viros,* id. XIX 2 p. 67: *quamvis docendi munus indepte es foris,* loco recte emendato a Scaligero.

1. Brandes in prolegomenis p. 277 n. hunc nominativum absolutum v. 151 positum cum alio confert, qui v. 213 sqq. exstat. Paulo longius locum repetam, ut contextus verborum melius perspiciatur: m i h i f i d a p a r a v i/o t i a, p r i v a t a e p o s t i m p e n d e n d a q u i e t i./q u a e e t m i h i c a r a n i m i s s e m p e r f u i t i n g e n i o q u e/c o n g r u a p r i m a m e o m e d i o c r i a d e s i d e r a n t i, / p r o x i m a d e l i c i i s e t a b a m b i t i o n e r e m o t a,/u t m i h i c o m p t a d o m u s s p a t i o s i s a e d i b u s e s s e t. . .,/m e n s a o p u l e n t a. . ., p l u r e s m i n i s t r i/ . ., n u m e r o s a s u p e l l e x,/a r g e n t u m. . ., a r t i f i c e s. . ., s t a b u l a . . .,/t u n c e t c a r p e n t i s e v e c t i o t u t a d e c o r i s —/ n e c t a m e n h i s i p s i s a t t e n t i o r a m p l i f i c a n d i s/q u a m c o n s e r v a n d i s s t u d i o s i o r e t n e q u e c e n s u s/a u g e n d i c u p i d u s n i m i s a u t a m b i t o r h o n o r u m,/s e d p o t i u s, f a t e o r, s e c t a t o r d e l i c i a r e m . . . Constructio sane dura est, neque tamen hoc loco de anacolutho neque de nominativo absoluto agitur. Dura constructio videtur, quia verbo substantivo f u i per ellipsin post adiectivum a t t e n t i o r omisso persona tertia, quae in enumeratione longa a v. 205 incipiente (u t m i h i e s s e t) exstat, subito cum persona prima, quae iam a v. 200 relinquitur, mutatur, quod nullo verbo notatur, sed ex sententia tantum colligendum est. — De simili sermonis consuetudine disserit Hofm. 843 (praecipue 843,4).

C. II. De pronominibus.

A. De pronomine possessivo.

Pronomen possessivum apud Paulinum Pellaeum saepius redundat, ut praef. 1: *Scio quosdam inlustrium virorum pro suarum splendore virtutum ad perpetuandam suae gloriae dignitatem ephemeridem gestorum suorum proprio sermone conscriptam memoriae tradidisse.* praef. 2: *ut, qui totam viam meam deo debere meminissem, totius quoque vitae meae actus ipsius devotos obsequiis exhiberem* . . . v. 258 sq: *quae (sc. damna) meminisse licet pigeat transactaque dudum / oblivione sua malim sopita silere.* — Qui usus praecipue sermoni cottidiano familiaris iam in argentea latinitate frequentatur (a poetis inde ab Augusti temporibus), apud posteriores etiam frequentius exstat (cf. Hofm. 473, 2/3). Interdum Paulinus metri causa pronomen possessivum, etsi tardum est, adhibet; testimonio sunt pronominis formae *meorum, mearum, suarum,* quibus nonnunquam hexameter terminatur, velut v. 269 sq: *ipsa patronorum mihi ambitiosa meorum / obfuerint studia.* v. 459 sq: *filii, mater, socrus, uxor / cum grege non minimo famularum quippe suarum,* al. Praeterea hic usus etiam ea de causa Paulino gratus acceptusque est, quod pronominibus possessivis positis homoeoteleuton vel versus extremis syllabis consonantes, i. e. quod nos *leoninischer Reim* dicimus, facile effeciuntur; cf. v. 349: *agmine carorum magno comitante meorum,* et supra v. 269.

Paulinus, ut pronomen possessivum adamat, ita etiam adiectivo *proprius* pronominis possessivi vice fungenti ='*meus*' aut 'suus' favet proprietate verbi amissa veluti v. 479: *salvo tunc etiam propriae domus ordine =meae,* v. 614: *in hoc proprio mortali corpore dum sum,* cf. verba quoque, quae supra commemoravimus praef. 1: *proprio sermone,* ubi *proprio* pro *suo* tris deinceps in uno enuntiato adhibito varietatis eloquendi causa dici videtur. Ceteros locos Brandes in indice s. v. exscripsit. Adiectivum *proprius,* quod *suus* pronomen aemulatur, posterioribus temporibus excepto Taciti usu propinquo viget, atque etiam apud quosdam scriptores (Ammianum Marcell; Ps. Rufinum vit. patr.) *suus* ab usu fere removit (Hofm. 473, 4, Svennung 652 sq., Linderbauer 374, Antib. s. v.)

B. De pronomine demonstrativo.

hic = is. v. 449 sq: *plura petita negas, magis apta his dare paratus, / qui sapiunt tua dona suis praeponere votis.* — Vim demonstrativam pronominis *hic*, quod Paulinus valde in deliciis habet, defectam esse his ex verbis intellegi potest; hoc enim loco *his* munus pronominis *iis* notione demonstrativa carentis obit. Cum Cicero *hic* ante pronomen relativum tantummodo ad res quasi praesentes notandas utatur, scriptores argenteae aetatis quam vocant, ut Vell., Sen., Mela, Plin., et maxime posteriores hoc usu elegantiore neglecto vulgo *hic* pro *is* dicunt. Hofm. 475, 1, Kühner II 1, 621, Linderbauer 151. Cf. etiam Hans Ziegel, De is et hic pronominibus quatenus confusa sint apud antiquos (Diss. Marburg 1897), passim.

v. 478: *ante hos ter decies super et his* (Barth—Brandes: *bis* cf. quod in extremo opere de hoc versu dicitur) *quattuor annos.* — *Hic* ante *annum* et alias significationes temporis saepe locum habet ad praesentiam accuratius denotandam veluti *tribus his proximis annis* et similibus in elocutionibus a Cicerone adamatis; sed coniunctum cum *ante* praepositione et accusativo pronomen *hic* fere inusitatum est neque exstat ante argenteam latinitatem (Plin. nat. XIV 143, e poetis Phaedrus solus usum admittit I 1, 10) et postea: apud Frontonem, Hieron., August., Gregor. Max., Vulg. I Esdr. 5, 11 (v. Antib. I 650, Thes. II 133, 40).

iste = hic v. 406 sqq: *Sint* (Haase-Brandes: *sit;* cf. quod infra dictum est p. 26/27) *tamen ista satis super his me esse profatum, / inter barbaricas longo quae tempore gentes / expositus gessi.* v. 328 sq: *Nec postrema tamen tolerati meta laboris / ista fuit nostri, quem diximus.* — *iste* nonnunquam pronominis *hic* loco poni, i. e. non ad secundam, sed ad personam primam pertinere notum est. Quem usum poetae, quibus vulgaris dicendi modus familiaris est, ex sermone cottidiano in poesim receperunt (primus Catullus, deinde Hor. sat. I 4, 131, saepius inde a Lucano), orationis solutae scriptores inde a Valerio Maximo admittunt. Cf. Hofm. 477, 1. Pronomen hac significatione dictum in posteriore latinitate magis magisque in usum venisse ex inferioris aetatis libris ex Graeco translatis bene cognosci potest, cf. Meader-Woelfflin ALL XI 387: veluti

quod ad Novum Testamentum attinet, Hieronymus nimirum optimorum scriptorum usum sequi studet, cum in Itala crebro *iste* legatur. Attamen iam apud Tertullianum *iste* sensu *hic* pronominis saepe exstat (cf. Hoppe p .104) et item apud Cassianum, aequalem Paulini Pellaei (cf. indicem, quem Petschenig editioni suae addidit). Paulinus pronomen *iste,* quamquam rarissime (bis tantum) adhibet, tamen prorsus sensu vocabuli *hic* usurpat.

ipse = is(se). *ipse,* quod Paulinus praeter pronomen *hic* plurimum adamat, nonnunquam obvenit signifiatione impropria et idem atque *is* valet, velut v. 223 sq: *maiore ut parte anni ipsis praesentia nostra / serviret,* v. 572 sq: *cunctaque ipsa etiam, quae iam tenuatus habere / Massiliae potui* . . . — Praecipue in praefatione *ipse* frequens est: praef. 2: *vitae meae actus ipsius devotos obsequiis exhiberem . . . eucharisticon ipsi opusculum sub ephemeridis meae relatione contexerem . . . praef. 3: ipsius misericordiae circa me fuisse . . . curam mihi providentiae ipsius profuisse . . . subvenire mihi posse misericordias ipsius* . . . — Cetera exempla Brandes in indice in voce *pronominis* affert. Uno loco *ipse* etiam pronominis reflexivi vice fungitur v. 397 sq: *fidem pacis servare parati / Romanis, quoquo ipsos sors oblata tulisset.* — *ipse* eadem significatione atque *is* adhibitum inde a Curtio exemplis probari potest; inferioribus temporibus in omnium usu est; id eo explicari potest, quod pronomina, quae sono et sensu graviora sunt, in sermone posteriore verbis sine vi et pondere dictis praeferuntur cf. Hofm. 480, 2, 474, 3. Eodem modo posterioribus temporibus Graece αὐτὸς adhibetur velut in Novo Testamento Luc. IV 15 καὶ αὐτὸς ἐδίδαξεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν =Vulg: *et ipse docebat in synagogis eorum* (cf Wackernagel, Syntax II 86). Praeterea Paulinus hoc in usu consuetudinem sequitur poetarum, quorum meliores, praecipue Vergilii imitatores, metri necessitate coactos *is* pronomine quam maxime abstinere constat. Itaque etiam in Paulini versibus fere nusquam usurpatur (exceptis duobus locis v. 237 et v. 315, ubi *eius* legitur). — *Ipse* pronominis reflexivi sensu pro *sui, sibi, se* item inde a Curtio obvenit (ut Curt. VII 8, 8: *nuntiare iubent regi velle ipsos ad eum mandata perferre),* inferioribus temporibus

usitatissimum cf. Hofm. 471, 1, Kühner II 1, 631. — Quaerendum est, nonne *ipse* pronomen praefationis Paulini locis et aliis, qui ad deum pertinent, fortasse maiorem significationis vim quam tenue *is* habeat; qua de re cf. Wölfflin ALL XI p. 389/90, qui pronomen *ipse* deum notans idem atque in sermone Graeco „ὁκύριος" valere mea quidem sententia recte iudicat. Cf. etiam Orosii locos eodem sensu intellegendos, quos Svennung l. c. p. 67 affert. Quo in usu significatio principalis pronominis *ipse,* quo primo aliquid contrarii designatur, perspici potest, cf. Linderbauer l. c. p. 132: *ipse* ut in florenti latinitate nonnunquam dominum servis oppositum (cf. Graece αὐτὸς ἔφα), ita posterioribus temporibus saepe Christum notat.

idem=ipse praef 2: *qui me scilicet totam vitam meam deo debere meminissem, totius quoque vitae meae actus ipsius devotos obsequiis exhiberem eiusdemque gratia concessa mihi tempora recensendo eucharisticon ipsi opusculum... contexerem.* — Verbum *idem* hoc loco varietatis tantummodo gratia pro *ipse* bis posito dici apertum est. Eandem igitur significationem atque *ipse* habet[1]. Cum *ipse* pronominis *idem* loco aetate inferiore inde a Tertulliano et Minucio Felici (Hofm. 480, 1) in omnium usu esset (redundanter etiam *idem ipse* dicitur cf. Linderbauer p. 252) differentia significationis amborum pronominum obscurata, facile fieri potuit, ut ex contrario *idem* pro *ipse* diceretur. et re vera testimonia singillatim reperiuntur, ut in Sorani operum interpretatione Latina et apud Apollinarem Sidonium, cf. M. Müller, de Apollinaris Sidonii latinitate (Diss. Halle 1888) et Löfstedt Komm. p. 65[2].

---

1. qua notione ipse eo praefationis loco sit, modo explanavimus cf. supra ipse=is.

2. Hic mihi locus sit de pronomine idem pro is posito disserendi. Quae sermonis consuetudo, quantum nos quidem videmus, adhuc posterioris tantum latinitatis exemplis probata est et tali modo etiam ab Hofmanno p. 479, 2 notatur. Sed mea sententia et hic posteriorum scriptorum usus, ut multa alia, ad meliora tempora referri potest et ad argenteam quidem aetatem quam vocant, ut locus confirmat, qui in Traiani epistula ad Plinium scripta exstat Plin. epist. X 18, 2: nam et tu dabis operam, ut manifestum sit illis electum te esse, qui ad eosdem

De constructione, quae κατὰ σύνεσιν appellatur, post *quidquid* adhibita.

v. 53 sq: *quidquid iam—potui meminisse, necesse est, / ipse fide propria de me agnoscenda retexam.* — Quamquam locus lacunosus traditur, tamen non est dubium, quin vox *agnoscenda* ad *quidquid* referenda sit. Ergo hic neutrum singularis neutri pluralis respondet. Quibus de rebus egit Löfstedt Komm. 307 sqq. et id. Syntax 1928, p. 7/8. Usus originem e sermone vulgari ducit et in prisca lingua Latina (e. g. Plaut. Poen. 542: *per iocum itidem dictum habeto, quae nos tibi respondimus),* frequentius in posteriore latinitate invenitur (velut Commodian. Instr. I 8, 2: *quod ego prius, putatis oranda.* Alia exempla utriusque aetatis Löfstedt 1. c. offert). Huiuscemodi locutiones, ut *ea — quod, omnia — quod, hoc — quae,* a posterioribus frequentantur. Paulini loco structura minus elegans hoc facilius intercurrere potuit, quia *quidquid* notionem pluralem habet, ut nomina collectiva, quae omnibus temporibus numerus pluralis libenter sequitur. — De constructione κατὰ σύνεσιν apud pronomina distributiva inventa cf. Hofm. 635, 2, Kühner II 1, 24/25. Posterioris aetatis exempla, in quibus *quidquid* cum verbo plurali coniungitur, Baehrens affert Beitr. Philol. Suppl. XII. 463.

Uno loco Paulinus Pell. in genere pronominis offendere videtur v. 216 sqq: *sed potius, fateor, sectator deliciarum, / si qua tamen minimo pretio expensaque parari / et salvo famae possent constare decore,* ubi *si qua* nominativum pluralis ad nomen generis feminini *deliciarum* referri apertum est. *Qua* pro nominativo pluralis pronominis indefiniti generis feminini dici a communi usu dicendi alienum est neque usquam alibi legitur. Omnibus autem temporibus *qua,* praecipue in junctura *si qua* substituitur

I. pro *quae* nominativo singularis feminini generis,

---

m e i l o c o m i t t e r e r i s. Iure, ut mihi videtur, Merill in editione e o s d e m intactum in textu retinet, cum Keil, qui hoc loco e o s d e m pro e o s dici recte intellexerit, - d e m uncis includat et CFW Müller locum cruce ornet. Kukula e o s d o m i n i commendat.

II. pro *quae* nominativo et accusativo pluralis generis neutrius (v. Georges, Lat. Wortf. p. 582, Neue-Wagner^3 II 443 sq, 467 sq).

Quae cum ita sint, hic *qua* legitimae formae *quae* vice fungi vix quisquam intelleget, sed genera inter se non convenisse iudicandum est adeo, ut numerus pluralis generis neutrius ad pluralem generis feminini referatur. Similia in sermone vulgari nonnunquam inveniuntur, ut Plaut. Asin. 558 sq: *virtutes quae . . . male fecisti;* Varro rer. rust. I 1, 11: *circumcisis rebus, quae non arbitror pertinere ad agri culturam,* al. cf. Keili commentarium in Varronis rer. rust. libros p. 8/9. Hofm. 632, 1.

C. III. De praepositionibus.

I. De praesitionibus cum ablativo coniunctis.

v. 570 sq: *cum iam penitus fructus de rebus avitis / sperare ulterius nullos me posse probasses.* — Optimi scriptores (Caesar, Cicero) *sperare aliquid ex aliqua re* dicunt, si de rebus agitur, (si personae dicuntur, et *ex aliquo* et *ab aliquo),* cf. Antib. s. v. Paulinus praeter *de* etiam *ex* cum verbo sperandi eadem significatione coniungit v. 535 sq: *expensas, vitae quas posceret usus, / conductis studui ex agris sperare paratas,* cf. etiam v. 523: *nec spes magna novis subitura ex fructibus esset.* Ergo v. 570 *ex* praepositione *de* e loco motum est (de verbo *captandi* item et *ex* et *de* sibi asciscente cf. supra p. 7). Ex Paulini Pellaei aequalibus eandem structuram Cassianus adhibet conl. XIII 15, 4: *aliis de tactu fimbriae eius sperantibus medicinam.* Posterioris aetatis scriptores praecipue *de* praepositionem amare, quam identidem praepositionibus *ex* et *ab* praeferant, exponit Hofm. p. 526, 4/527, 1.

v. 575 sq: *emptorem mihi ignotum de gente Gothorum / excires.* — Hic quoque *excire ex* structura communis est, ut *excire ab* omittam, quod rarius occurrit, ut apud Livium. *De* praepositionis *ex* loco verba *ex* praepositione conformata iamdiu sane comitatur, ut apud Catonem in libro de agricultura scripto et in Ciceronis primitiis. *Excire de* cum Paulini Pellaei loco significationem librorum sacrorum propriam habere perspicuum

sit, idem valet ac Graece ἐγείρειν ἐκ. Praepositionem Graecam „ἐξ" saepe voce *de* Latine reddi, velut in libro divino e Graeco translato, qui inscribitur Jesus Sirach, docet Thielmann ALL VIII p. 560.

v. 606 sq: *ne vicina magis pro condicione senectae / tempora plus metuam mortis.* — *pro* = *secundum*, 'entsprechend' in sermone puro plerumque in dictionibus quibusdam usitatis invenitur, e. g.: *pro copia, re, viribus, parte*, al., *pro condicione* inde a Columella, Quintiliano, Suetonio, saepius apud posteriores legitur. Cf. Hofm. 534, 2, Thes. III 135, 36 sqq.

praef. 2: *eucharisticon ipsi opusculum sub ephemeridis meae relatione contexerem.* — Tit: Εὐχαριστικός *deo sub ephemeridis meae textu.* — *Sub* vim temporalem instrumentalemque iam apud Lucretium habet, tum apud Propertium, in soluta oratione inde a Celso, saepissime apud posteriores, veluti Cassianum, qui *sub* praepositionem vi instrumentali modalique praeditam valde adamat (cf. indicem a Petschenigo conscriptum CSEL XVII, ALL XIV 489, Hofm. 539, 4). Denique posteriore aetate *sub* instrumentalem quoque significationem sibi asciscit (cf. Kühner II 1, 571), quam notionem praepositio etiam Paulini Pellaei loco habet, praesertim cum vulgo ablativus instrumentalis vocabulum contexendi sequatur. Qua de causa Mischio, Gesch. d. Autobiogr. p. 349, qui sententiam sic Germanice reddat: „Dankgebet an Gott nach dem Text meines Tagebuches", assentiri non possum; dixeris fere „mittels".

v. 572 sqq: *cunctaque ipsa etiam, quae iam tenuatus habere / Massiliae potui, amissa iam proprietate / conscripta adstrictus sub condicione tenerem.* — *Sub* condicionem significans inde ab Ovidio adhibetur, in prosa a Livio (cf. Hofm. 539, 3, Antib. II 611), cum scriptores florentis latinitatis ablativum nudum usurpent. E consuetudine posteriorum iuris consultorum, primum Iavoleni et Celsi *sub* cum *condicione* jungi solet.. Etiam locutionem, de qua agimus, *conscripta sub condicione tenere* iurisdictionis propriam esse perspicuum est.

v. 406: *Sint* (quomodo numerum pluralem et in codice Bernensi et in editione principe traditum contra Brandesium defendamus, vide infra p. 26/27) *tamen ista satis super his*

me esse profatum . . . Super = de, in betreff, in sermone cottidiano et poetico, ut apud Vergilium et Horatium (cf. Kühner II 1, 572), omnibus temporibus obvenit, saepissime apud Tacitum, imitatores priscorum scriptorum, passim in latinitate posteriore (Hofm. 540, 3, Antib. II 626).

v. 317 sq: *me . . . / nudavere bonis simul omnibus et genetricem / iuxta meam mecum.* — Locutio *iuxta cum* Plauti propria est, qui *iuxta* non admittit nisi *cum* praepositioni adiunctum. Apud alios poetas nusquam, ut mihi videtur, in oratione soluta tantummodo apud Sallustium Cat. 58, 5 et Frontonem p. 182 N exstat (cf. Antib. s. v.). Qui usus archaismus quem vocamus iudicandus est, qui a Sallustio primo, deinde a Frontone ex priscorum imitatione conservatur, perraro etiam in posteriore latinitate occurrit. Neque enim alium locum praeter Paulini Pellaei apud posteriores inveni.

II. De praepositionibus cum accusativo coniunctis.

v. 588 sq: *nostra tamen iugis devotio ponere finem / nescit ad explenda tibi debita munia.* — *Ponere finem* cum genitivo (apud Ovidium, Lucanum, al.) aut dativo rei (Lucan. X 42) coniungitur, cf. Thes VI 797, 7 sqq. V. 444: *miserandi ponere finem,* Paulinus locutionem ponendi finem cum genitivo gerundii iungit. Aliae quoque phrases substantivo *finis* formatae, ut *finem facere,* in gerundii aut gerundivi structura plerumque genitivum, perraro dativum asciscunt (cf. Antib. s. v.) Ergo etiam v. 589 *ad* cum gerundivo coniunctum pro genitivo gerundivi positum esse nobis iudicandum est, praesertim cum illa verborum conformatio propter accusativos in *-a* cadentes metro aptissima esset. Similes constructiones Bonnet p. 584 profert a Gregorio Turon. h. F. II 23 p. 86, 14: *ne moram facias ad eundum,* et fortasse ibid. III 14 p. 122, 1: *quod feceris signum populis ad me interficiendum.* Structuram elocutionis *finem ponendi* praepositione *ad* solutam posterioris tantum latinitatis propriam esse verisimile est. Praepositio *ad* enim cum gerundio aut gerundivo coniuncta, quae omnibus temporibus notione finali frequentata erat, posteriore aetate etiam verba locutionesque sequi videtur, quae supplementum finale non admittunt. Ad

initia huius loquendi usus fortasse iam *ad* cum gerundio aut gerundivo coniunctum pertinet, quod interdum post verba dictionesque *impediendi* pro genitivo usitato ponitur, veluti post *mora est* sim. (cf. Cic. Caec. 7 et Liv. XXXI 40, 9; Kühner II 1, 750), quam structuram Gregorius Turon. 1. c. (vide supra) e veterum consuetudine sumpsit. Praeterea locutionem *finem ponendi* a verbo *impediendi* significatione alienam non esse nobis respiciendum est.

v. 403/404: *adcrescunt quae cuncta mihi simul ad referendas, / Christe, tibi grates.* — *Ad* cum gerundivo iunctum post verbum *adcrescendi,* ubi finalis enuntiati vice fungitur, structura insolita est, v. Thes. s. v., qui hunc solum locum affert.

v. 208: *inque usus varios grata et numerosa supellex.* — *In* finale inde a Livio demum crebrius in usu est, cf. Hofm. 537, 2. Quae constructio dativi praedicativi loco, ut apud Paulinum, posita praecipue in sermone vulgari et posteriore usitata esse videtur, cf. exempla, quae Compernass IF 35, 222/223 collegit, ubi *ad* et rarius *pro* cum *in* praepositione certant, velut Eutropii brev. VI 22, 3: *qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat;* passio s. Theodoriti presb. Antiocheni c. 5: *argentum et aurum vestrum vobiscum sit in perditionem.* Cf. etiam Hoppe 1. c. p. 39.

v. 31: *moenia Sidoniae Carthaginis usque venirem.* — *Usque* nudum vocibus, quae locum denotant, adiunctum exceptis urbium nominibus apud poetas inde a Lucano, in sermone soluto a Plinio nat. invenitur. Apud alia vocabula, quae ad locos pertinent, *usque* praepositionis loco fortasse iam Cato ponit de agr. 49, 2: *ex radicibus bene exfodito, usque radices persequito,* deinde Curtius VIII 9, 21, Celsus saepius, passim scriptores posteriores. Vulgo *usque* adverbium voci, ad quam refertur, postponitur, cum Cicero id anteponere soleat, cf. Hofm. 498, 4 et Kühner II 1, 574.

v. 176 sq: *Talis vita mihi a ter senis circiter annis / usque duo durans impleta decennia mansit.* — *Usque* sine *ad* praepositione cum nominibus temporalibus iunctum iam Cicero dicit, praecipue in epistulis, sed ita, si dies designatur. Qui usus semel in Livii quoque scriptis exstat XXV 12, 1. *Usque* nudum cum aliis locutionibus, quibus tempus notatur, coniunc-

tum primus Suetonius usurpat Claud. 34, 1, deinde Celsus, tum Seneca, creberrime scriptores posteriores exceptis Ambrosio, Hieronymo, Augustino. Cf. Hofm. 499, 1, Kühner l. c., ALL IV 62 sqq.

De locutionibus cum praepositionibus iunctis.

v. 159 sq: *attamen in quantum lasciva licentia cauto / stricta coherceri potuit moderamine freni* . . . v. 127: *quae pater in tantum studuit per se ipse parare, / . . . ut . . .* v. 530 sq: *verum exigui iuctura laboris / suasit et in vacuum culturae impendere curam* . . . — *In* adverbii loco cum adjectivo neutrius generis pro appellatione usurpato coniunctum primum apud Sallustium invenitur, deinde in argentea et posteriore latinitate percrebrescit (Hofm. 538, 2). Locutiones *in quantum* = *quantum, quatenus,* et *in tantum* = *tantum, adeo,* ab Augusti aetatis poetis, ut Vergilio, Ovidio, et saepe postea in oratione soluta post Livium et Velleium adhibentur (v. Kühner II 1, 569; 2, 453[1]). *In vacuum* = *frustra* tantummodo apud posteriores legitur, primum quidem in Itala ex imitatione verborum Graecorum εἰς κενόν, tum aliis quoque locis praeter litteras sacras exstat (cf. ALL II p. 17 et 21).

v. 181 sqq: *potius . . domus . . / nomine magnifica, quam quae possessa placere / ad praesens posset nimis obnoxia curis.* — *Ad praesens* = im Augenblick locutio argenteae et posteriori latinitati familiaris est pro *in praesens, in praesenti, in praesentia.* Cf. Antib. II 362.

C. IV. De infinitivo.
De structuris rarioribus.

v. 260 sqq: *invitant adversa tamen per nostra tuorum / cognita donorum solacia, Christe, bonorum / emensis indepta malis tua munera fando / prodere.* — *Invitare* cum infinitivo iunctum structura rarissima est, quae primum apud Afranium 19 Ribbeck (cf. Hofm. 580, 4) occurrere videtur, deinde apud Vergilium Georg. IV 23: *invitet decedere ripa calori;* fortasse hic quoque Vergilii locus comparandus est Aen. V 484 sq:

1. Itidem ut consecutivum ex in tantum pendens argenteae ut Colum. III 3, 13 demum et inferioris aetatis proprium est (Hofm. 761, 1).

protinus Aeneas celeri certare sagitta / invitat qui forte velint, quo infinitivus *certandi* et ad *invitat* et ad *velint* ἀπὸ κοινοῦ pertinet, cf. Brenous, Hellénisme dans la Syntaxe Latine, Paris 1895 p. 286. In prosa unum exemplum infimae aetatis repperi: Jordanis ed. Mommsen Mon. Germ. A. A. V 1, 1882 p. 95, 16: *ad se eum in Constantinopolim accedere invitavit.*

v. 391 sqq: *turba Gothorum / . . . nihil temptare ausa ulterius properanter abire / sponte sua legit.* v. 520: *Massiliae demum pauper consistere legi. — Legere* (vel *eligere)* coniunctum cum ienfinitivo, Germanice „wählen = beschließen", eadem fere notione ac *constituere* primum, ut mihi videtur, apud Statium exstat Theb. X 635: *sive ipsa* (sc. virtus) *capaces / elegit penetrare viros;* quam constructionem Statius etiam apud adiectivum *lectus* (Theb. I 531) et duobus locis apud *electus* admittit (Silv. III 4, 62. Ach II 51; cf. Fr. Lohr, De infinitivi ap. Stat. et Juvenal. usu, Diss. Marburg 1876 p. 10 et 66). Ex Paulini Pellaei aequalibus infinitivus pendens e verbo *legendi* eodem sensu adhibito Paulino Nolano familiaris est, ut carm. XXI 359 Hartel: *quid memorare legam?* Cf. ceteros locos in Harteli indice notatos. Praeter verbum legendi *eligere* quoque apud Paulinum Nolanum cum infinitivo iungitur, quas duas verborum formas metri causa vicissim a scriptore usurpari L. Kraus commemorat (Die poet. Sprache d. Pls. Nol. Diss. Würzburg 1918 p. 25). *Eligere* saepius etiam apud Ambrosium et Augustinum infinitivum requirit, neque iam posteriori sermoni vulgari hanc *eligendi* vel *deligendi* structuram deesse e duabus inscriptionibus in Gallia transalpina inventis intellegi potest: I.) *elegit Christum quaerere,* CIL XII 1272 (secundum Mommsenum aliquanto post a. p. Chr. n. 475), II.) *delegit habere capellam,* Egli 49 (s. VIII. p. Chr. n.) cf. Pirson, La langue des inscriptiors lat. de la Gaule, Brüssel 1901 p. 215.

v. 167 sq: *quippe reus culpae potius quam criminis esse / praeponens. — Praeponere* cum infinitivo iunctum structura singularis esse videtur similitudine verbi *praeferendi* cum infinitivo constructi[1]. —

1. De loco, Priscian. III 356 (Keil), quem Forcellini his verbis affert: Notanda est ratio illa loquendi, quam Priscian. nullo quidem exemplo fulcit, usitatam tamen Latinis ait, sic

v. 450: *qui sapiunt tua dona suis praeponere votis.* — *Sapere* plerumque absolute aut cum obiecto accusativi coniunctum ponitur, cum infinitivum rarissime sibi asciscat: in prisca latinitate apud Ennium ann. 561: *loqui sapiunt* (cf. Kühner II 1, 674), deinde posteriore demum aetate, ut opinor, apud Augustinum contra duas epist. Pelag. III 7, 22 (CSEL LX p. 514, 4): *ut nondum nos perfectos esse sapiamus,* et Ps. August. serm. app. 292, 7: *qui se continere non sapiunt.* Enuntiatum causale supplementum est August. de perfectione justitiae hominis c. 19 (CSEL XXXXII p. 17, 17) *hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus.*

v. 140: *sufficeret quibus ex nostra gaudere salute.* — Infinitivus e verbo *sufficit* pendens constructio nova argenteae latinitatis et quidem orationis solutae propria est. Legitur inde a Quintiliano ex imitatione infinitivi, qui *satis est* consequitur. Cf. Antib. s. v. et Hofm. 582, 4.

De infinitivo substantivo adiuncto.

v. 64 sqq: *ingenioque rudi celerem conferre profectum, / ipsius alphabeti inter prope prima elementa / nosse cavere decem specialia signa amathiae.* — Infinitivus post *profectum* positus structura singularis esse videtur analogia dicta phrasium earum, quae e substantivis compositae (ut *potestas, copia est* vel

---

iudicandum esse puto: agitur de his Prisciani sententiis: Attici προκρίνας τούτους καλλίστους εἶναι τῶν λόγων. Nostri quoque huiuscemodi locutionibus utuntur, ut ‚praepono hunc optimum esse amicorum'. Hic praeponere, ut sententia Graeca (Isocr. paneg. § 4) significat, idem atque existimare valet. Quam vim verbo praeponendi tribui posse negandum est, cum potius significationi verbi proponendi conveniat. Ergo pro hoc loco prae praepositione mutatum esse iudicandum est, quod posteriore aetate saepius fit, cf. Hofm. 533, 3 et Wohleb Wochenschr. klass. Phil. 1918, 21, qui exemplum Sulpicii Severi profert (CSEL 1) chron. 115, 2: propositaque (prae-P) eis condicio poenarum. Quo loco secundum Wohlebum non error librarii subest, des scriptoris ipsius usus loquendi inter praepositiones pro et prae fluctuat. Cf. etiam Commod. carm. apol. 699 (CSEL XV): sunt tibi praepositae duae viae. Alia huiuscemodi exempla praeter Sulpicium Severum et Commodianum Claudius Mamertinus et Eugippius praebent.

datur) infinitivum asciscunt et potestatem facultatemque denotant, veluti Catull. 64, 366 sq: *fessis dederit fors copiam Achivis / . . . solvere vincla,* cf. Schäfler, Graezismen d. august. Dichter p. 85 (Amberg 1884). Infinitivus verbo *proficiendi* adiunctus fere inusitatus est, sed semel a Cicerone de inv. II 120 admittitur. Vox ipsa *profectus* sermoni puro ignota apud poetis inde ab Ovidio legitur, in oratione soluta Varronis loco r. r. I 2, 23 excepto a scriptoribus demum argenteae latinitatis (primum a Valerio I 16, 2) adhibetur, posteriore aetate frequentior est (veluti apud Paul. Nol., Salvian., cf. Antib. s. v.)

De infinitivo ex adiectivis pendente.

v. 362: *gnarus quippe Gothos rursus mihi dira minari.*

v. 62 sq: *gnaramque apto moderamine curam / insinuare mihi morum instrumenta bonorum.* — Cum accusativum c. inf. post *gnarus* ex usu verborum *gnoscendi, ignorandi* inde a Sallustio hist. fr. III 98 D (cf. Hofm. 588, 3), tum apud Livium inveniamus, infinitivus perrarus esse videtur; unus enim posterioris aetatis locus mihi obventi, ubi infinitivus iuxta genitivum gerundii ponitur: Ammian. XXVIII 1, 7: *eliciendi animulas noxias et praesagia sollicitare larvarum perquam gnarus.* — Etiam adiectivum *ignarus* infinitivum desiderans rarum et ab oratione soluta alienum est; occurit demum in argentea latinitate apud Statium silv. I 4, 40 et theb. III 67. Paulini loco *gnarus* cum infinitivo construitur similitudine adiectivi *peritus,* cui infinitivus apponitur v. 61: *exercere peritum.* Praeterea ordine verborum considerato infinitivus e tota fortasse elocutione *gnaram curam* potius quam e *gnaram* solum pendere iudicandum est. *gnaruque,* quod in B exstat, a Brandeso in *gnaramque* mutatur jure, ut mihi quidem videtur; *gnaruque* ex imitatione verbi quod antecedit *peritum* corruptum esse verisimile est.

v. 404 sq: *grates, quas impos solvere verbis / parte rependo aliqua . . .* — Adiectiva notione *potentiae* vel *impotentiae* infinitivum perinde ac *posse* desiderant. Itaque *potens* participium verbi *posse* plane intellegitur inde ab Ennio ann. 333: *bellum tolerare potentes,* — tum adiectivum infinitivum asciscit apud poetas inde a Manilio, in oratione soluta ab Apuleio (Hofm. 579, 1), cum *impotens* cum infinitivo iungatur semel

ab Horatio od. I 37, 10. *potis* (potis (est) = potest) cum infinitivo praecipue poetae a priscis temporibus coniungere adamant, velut Enn. ann. 174: *quis potis ingentis oras invol vere belli* . . . Post *impos* autem infinitivus rarissime exstat, neque ullum locum praeter Paulini inveni. Accedit, quod vocabulum ipsum ab scriptoribus optimis, ut Cicerone, Caesare, Livio, Vergilio, Horatio, Ovidio, alienum tantum in latinitate prisca, argentea, posteriore usitatum est.

v. 471: *sed rectam servare fidem non inscius ipse.* — *Incius* cum infinitivo raro iungitur, primum, ut opinor, apud Varronem Sat. Men. fr. 211 Bücheler, praeter hunc locum in latinitate florenti nusquam — nam Cic. de fin. V 19 pro *non sum inscius* lectione tradita cum a. c. i. iuncta nunc *non sum nescius* legitur, cf. Madivigi editionem 1876 a. 1. —, tum apud Statium Theb. III 388, cf. Kühner II 1, 684. *Conscius* autem accusativum c. inf. exigit iam inde a Terentio (*'conscius sum'* cum a. c. i.) cf. Hofm. 588, 1. Thes. IV 371, 45 sqq, 371, 63 sqq.

v. 481 sq: *nec retinere tamen peregrino iugiter esset / possibile.* — *Impossibilis* et *possibilis* leguntur primum apud iuris consultos Vespasiani temporis, deinde apud Quintilianum; vocabula rhetorum et philosophorum propria sunt (= Graece δυνατός ἀδύνατος), neque adhibentur, ut id, quod fieri potest vel non potest, explicetur, cf. Antib. s. v. *impossibilis.* Simpliciter pro „möglich, unmöglich" posteriores demum scriptores dicere solent. Infinitivus et activus et passivus his adiectivis adiunctus aetate posteriore saepius obvenit, ut apud Cassianum Massiliensem Paulini Pellaei aequalem (cf. indicem Petschenigi I CSEL XVII), praeterea apud Paulum dig., Lactantium, Ps. Augustinum quaest. p. 116, 23 (Souter CSEL L), al.

De accusativo cum infinitivo.

praef. 3: *me adsiduis adversitatibus moderanter exercens evidenter instruxit, nec impensius me praesentem beatitudinem debere diligere, quam. . .* — Accusativus cum infinitivo post verbum *instruendi* structura singularis videtur esse verba *docendi* sequens, quorum significationem *instruere* hoc Paulini loco plane sibi vindicavit. Apud scriptores probatos verbum *instru-*

endi nusquam idem valere ac verba *docendi* excepto participio perfecti passivi *instructus* = unterrichtet Antibarbarus s. v. instructionis annotat.

v. 90 sq: *laedi ne quando sinistro / cuiusquam sermone mea se fama timeret.* — Nonnunquam *timere* accusativum cum infinitivo exigit inde a Caelio Cic. epist. VIII 11,3, saepe apud Livium, in argentea et posteriore latinitate. Accedit, quod Paulinum accusativi cum infinitivo structura duas sententias finales a *ne* incipientes, quarum una ab altera pendet, evitare voluisse verisimile est. Cf. Hofm. 587, 3, Antib. s. v.

v. 114 sqq: *studiis intentus litteraturae / ultro libens aliquem iam me mihi ipse videbar / votivum impensi operis sentire profectum.* — *Videor* accusativum cum infinitivo asciscit, quo idem subiectum ac voce *videor* exprimitur. Hoc loco duae structurae inter se confunduntur: 1. *mihi videbar sentire profectum,* 2. *videtur me sentire profectum.* Similia in posteriore latinitate saepius occurrunt, e. g. locum simillimum conferas Herm. vugl. simil. 9, 11: *videbar mihi veluti iuniorem esse factum (videbar mihi iunior factus* et *videbatur me iuniorem esse factum* in unum confunduntur) cf. Hofm. 586, 3. Etiam verbo *videndi* excepto posteriore aetate tales constructiones mixtae leguntur, ubi verbum dicitur personaliter, cum accusativus cum infinitivo tribuendus sit structurae impersonali. Complura exempla Hartel ALL III 47 a Lucifero Calaritano profert, veluti CSEL XIV p. 162, 14: *conspectus . . . es aliud te cupientem implere.* E Theodoro Mopsuestio, Gregorio Turonensi, peregrinatione Aetheriae Löfstedt locos affert (Komm. p. 46). Quae cum ita sint, Barthio Brandesioque assentiri non possum, qui, quamquam Brandes non audet verba mutare, *me* pronomen suspectum habent et emendare conantur.

v. 406 sqq: Hic. de v. 406 disserere liceat: *sint tamen ista satis super his me esse profatum, / inter barbaricas longo quae tempore gentes / expositus gessi.* — Sic verba B et P consensu leguntur. Brandes autem *sit,* quod Haase coniecit, in textum recepit. Hic quoque mea quidem sententia structura personalis miscetur impersonali, ut saepius fit in latinitate posteriore cf. Hofm. 583,3; Schmalz Gl. V 212 exemplum affert e Chirone 478: *sic eum curabis potionibus quae ad valitudinem*

congruunt dare (i. q. quas congruit dare), Löfstedt Komm. 46/47 e peregrinatione Aetheriae c. 36,4: *omnia, quaecumque scripta sunt Pilatum ad Dominum dixisse (= scriptum est)*; ibidem similes structurae inter se commixtae, quas posteriores admittunt quaeque ad verbum *oportendi* attinent, explicantur. In primis conferendus est Orosii locus simillimus, quia *ista* pronomen infinitivo suo solutum et ante verbum positum est; apol. 12,1: *sed mearum ista partium non sunt latius indagare* (i. q. *mearum partium non est)*. Paulini quoque loco, ut omnibus, supra quos commemoravimus, praedicatum personaliter construitur, cum accusativus cum infinitivo sequatur, quasi elocutio impersonalis *sit satis* praecedat. Locis, quos attulimus, respectis numerum pluralem *sint* integrum retinendum esse censemus.

v. 17 sq.: *sit mihi fas igitur versu tua dona canentem / pangere.* — Hic *mihi fas est* imitatione elocutionis *fas est* accusativum cum infinitivo exigit. *Fas est* coniunctum cum dativo personae secundum Thesaurum s. v. p. 294, 14 sqq. infinitivum tantum desiderat. Etiam *mihi licet* semel cum a. c. i. iunctum invenitur in Plauti Casina v. 89, ubi pronomen gravitatis causa ponitur: *non mihi licere meam rem me solum, ut volo, loqui?* cf. Hofm. 583, 2. Unus locus, ubi consensu omnium codicum *mihi fas est* accusativo c. inf. et quidem passivo adiunctum legimus, exstat in Valerii Flacci libro VII 419: *sic* (sc. infectis rebus) *te sub teste remitti / fas mihi, virgo, tuum.* (i. e. *qui tuus sim* vel *qui te tantopere amo)*. Omnes autem editores eum corruptum esse iudicant aut non probabiliter interpretari conantur, veluti Burmannus, qui *mihi* i. q. *in patriam* valere vult. Paulini loco spectato ego quidem verba intacta esse dixerim.

Iam transeamus ad plura verba ea de causa notabiliora, quod in oratione soluta optimi scriptores ea cum infinitivo iungere aspernantur, cum poetae florentis latinitatis structuram a scriptoribus priscis plerumque acceptam adament et posteriores scriptoribus saepe iam argenteae latinitatis ducibus vulgo in usu habeant. Quibus in verbis haec numeranda sunt:

v. 165: *cedere et ingenuis oblatis sponte caverem.* — *Cavere* infinitivum desiderat in oratione soluta inde a Cicerone Att. III 17, 8 (uno hoc Ciceronis loco) et Sallustio Iug. 64, 2;

praeterea apud poetas legitur et ita quidem, ut exceptis Sall. l. c., Prop. II 17, 17, Hor. ars 168 semper ex imperativo verbi *cavendi* pendeat, cum aetate posteriore undique admittetur cf. Hofm. 528, 1, Thes. III 635, 68 sqq, Antib. s. v.

v. 178 sqq: *me . . . pia cura parentum / . . . novum compelleret esse maritum* —. *Compellere* cum infinitivo construitur inde ab Ovidio et Curtio, creberrime apud posteriores, cf. Hofm. 580, 4, Thes. III 2034, 14 sqq, Kühner II 1, 638.

v. 569: *nunc quoque sic ipsi iuvenascere posse dedisti.* — Verbum *dandi* metaphorice dictum = gewähren, gestatten satis frequenter praecipue a poetis cum infinitivo finali coniungitur, cf. Hofm. 580, 2, Thes. V 1688, 1 sqq: inde a Lucretio VI 1227. In prisca latinitate et apud Ciceronem Liviumque unius verbi *bibendi* infinitivus e verbo dandi pendere solet, cum Vitruvius solus VII 10, 4 in oratione soluta infinitivum alterius verbi admittat, postea etiam ecclesiastici inde a Tertulliano.

v. 149 sq: *veloci currere vectus / semper equo gaudens.* — Infinitivum nudum sequentem vocabulum *gaudendi* tempore antiquiore Terentius et Accius singulis locis adhibent, deinde frequentius poetae aetatis Augusti, in oratione soluta argenteae latinitatis primum Tacitus hist. III 11 et Plin. nat. XIII 21, creberrime scriptores posteriores, cf. Thes. VI 1704, 60 sqq, Hofm. 581, 3, Kühner II 1, 674.

v. 7: *ut tua te merear percurrere dona iuvante.* — *Mereor* coniunctum cum infinitivo secundum Antibarbarum s. v. sermonis poetici, argenteae et posterioris latinitatis proprium est, cf. etiam Kühner II 1, 625.

v. 66: *nosse cavere decem specialia signa amathiae.* — *Nosse* infinitivum asciscit apud scriptores priscos (inde ab Ennio), poetas, posteriores; a sermone puro structura aliena est cf. Hofm. 582, 1, Antib. s. v.

v. 461 sq: *quem (sc. gregem) totum pariter peregrinae exponere terrae / nec ratio aut pietas mens aut religiosa sinebat.* — Hanc structuram minus elegantem, quam etiam verba *curandi, faciendi, iubendi,* al. admittunt, infinitivum activum pro accusativo cum infinitivo passivo positum, maxime poetas, ut Vergilium Ovidiumque, frequentare Compernass commemorat (Glotta VI 170 sq). Post verbum *iubendi* ad jussum breve

significandum Caesar et Sallustius saepius eam adhibent, cf. Fr. Hase annot. 602 ad „Reisigs Vorlesungen über lat. Sprachwiss.". Quod ad verbum *sinendi* attinet, cf. Horat. carm. II 15, 17 sq: *nec fortuitum spernere cespitem / leges sinebant,* et Petron. frg. 49, 7: *fas et iura sinunt veteres extendere amores.* Usus per totum sermonem vulgarem viget cf. Compernass l. c., qui ex actis Sanctorum magnam exemplorum copiam sumit, et Salonium, vitae patrum p. 326 sq, ubi infinitivus activus passivi vice fungens bis post verbum *faciendi* annotatur. Cf. etiam testimonia, quae Thielmann ALL III 200 profert a Tertulliano, Firmico, Salviano verbis partim incerte traditis[1].

v. 465: *suadentum mihi tum morem servare vetustum.* (cf. v. 531: *suasit et in vacuum culturae impendere curam, v. 409: suasere moranti / linquendas patriae sedes quantocius esse.)* — *Suadere* cum infinitivo coniungitur inde a Terentio, praecipue a poetis et scriptoribus inferioris latinitatis; scriptores probati fere nusquam structuram admittunt, cf. Hofm. 580, 4 et Antib. s. v.

---

1. Thielmann 1. c. p. 201 infinitivum activum passivi loco positum post verbum f a c i e n d i notione i u b e n d i, quam significationem f a c e r e in sermone vulgari inde ab tertii saeculi exitu adeptum est, hoc modo explicat: zunächst als keine syntaktische, auf einem Wechsel der Konstruktion beruhende, sondern e i n e r e i n l a u t l i c h e Ä n d e r u n g, die ihren Grund hat in der Verdumpfung des auslautenden „i" zu „e". Ob eam autem rem, quod post verbum f a c i e n d i notione quoque e f f i c i e n d i infinitivus activus saepius in passivi locum substituitur (cf. testimonía a Tertulliano sumpta, quae supra commemoravimus) hanc interpretationem, cui Salonius 1. c. 327 annot. sine dubitatione assentitur, probare non possum. Nam structura, ut supra demonstravinus, apud omnia verba, quae infinitivum sensu finali et consecutivo aut, ut verba auxiliaria, infinitivum obiecti loco asciscunt, iam in florenti latinitate legitur. Quod si verbo f a c i e n d i notione recentiore i u b e n d i infinitivus activus loco passivi appositus est, rem maxime eo explanabimus, quod verbum in numero verborum illorum referendum est. Thielmann ipse quasi praeteriens in annotatione verbum f a c i e n d i cum verbis illis cohaerere dicit; tamen facta corrumpere mihi videtur, cum structura in primis vocalis appellatione prava explicare vult. „i" littera in „e" corrupta inferiore aetate infinitivum activum ut omnino ita etiam post verbum f a c i e n d i passivo praelatum esse sane ei concedam. Sed causa prima structurae aliunde, ut supra vidimus, repetenda est.

v. 587: *evagata (sc. pagina) diu claudi se iam prope poscat.* — Accusativus cum infinitivo apud verbum *poscendi* locum habet in sermone poetico (ut Verg. Aen. V. 342, Hor. a. p. 339) et in oratione soluta argenteae quam vocant et posterioris aetatis cf. Hofm. 585, 3, Kühner II 2, 232.

v. 79 sq: *unde labor puero, fateor, fuit hic mihi maior / eloquium librorum ignotae apprehendere linguae.* — Infinitivus substantivis adiunctus a priscis temporibus primum tum invenitur, cum non e substantivo singulari pendet, sed e tota locutione, vel dicam e verbo, cuius notionem locutio continet, deinde a Vergilio plerumque metri causa accipitur cf. Norden Komm[3]. 163, Hofm. 579, 4. *Laborare* cum infinitivo iunctum inde a Lucilio v. 349 (Marx) legitur, *labor est* infinitivum exigere videtur a Catullo 55, 13: *te iam ferre Herculi labos est,* deinde saepius apud Vergilium, in oratione soluta a Livio XXXIX 1, 5.

v. 529 sq: *sine terra / digna coli.* — Infinitivum adiectivis appositum, qui e Lucilii tempore legitur, poetae in primis aetatis Augusti frequentant morem Graecorum interdum sequentes. Ita *dignus* cum infinitvo iungitur ex imitatione adiectivi ἄξιος; apud poetas inde a Catullo LXVIII, 131 et Lucretio V 123 legitur, orationi solutae aureae quam dicimus et posterioris aetatis familiare est, cf. Hofm. 578, 4, Antib. s. v.

v. 485 sq: *obstabat flecti ad communia commoda coniunx / indocilis.* — Adiectiva e verbo *docendi* derivata cum infinitivo construuntur ab Horatio, etiam *(in-)doctus* et *docilis* cf. Hofm. 579, 1. *Indocilis* adiectivum Horatius carm. I 1, 18 cum infinitivo iungit, tum Silius, Lucanus, alii poetae.

v. 164: *carumque memor servare pudorem.* — *Memor* infinitivum sibi asciscit ab Ovidio Am. III 14, 48, deinde apud Statium silv. II 4, 18 (Kühner II 1, 684), cum *immemor* adiectivum cum infinitivo iunctum iam Plautus usurpet Pseud. 1104, Most. 141, cf. Hofm. 578, 4.

v. 600: *nec mihi, quid potius cupiam, discernere promptum est.* — Infinitivus post *promptum* est primum a Vergilio adhiberi videtur georg. II 255: *promptum est oculis praediscere nigram (tellurem),* pluribus locis ab Ovidio, in oratione soluta argenteae latinitatis a Tacito, Quintiliano admissus est. Struc-

tura praeter similes locutiones Latinas cum infinitivo iunctas, ut *facile est, (apertum est),* al., fortasse Graecam phrasim ἕτοιμόν ἐστι imitatur, quae infinitivum postulat.

C. V. De Gerundio.

v. 248 sqq: *ilico me indocilis fratris discordia acerba / excepit, validum genitoris testamentum / solvere conantis specialia commoda matris / inpugnandi animo.* — Vox *animi* cum gerundio aut gerundivo iuncta structura a sermone puro aliena analogiam vocabulorum fere *studii, consilii,* quae genitivum gerundii desiderant, sequi videtur. Genitivo gerundivii adiuncta inde a Velleio II 4, 4 obvenit, item apud Ps. Asconium in Corn. p. 62 Clark, cod. Iust. IX 45, 6; gerundii genitivo nonnunquam apud Iustinum apponitur, semel etiam apud Silviam 17, 1 cf. Thes. II 97, 32 sqq.

De ablativo gerundii.

Ablativus gerundii modalis, qui inde a Sallustio (praecipue apud Livium et Vitruvium) a participio praesentis non clare discernitur et cum eo commutatur, in argentea et posteriore latinitate magis magisque usitatus esse coepit, velut saepe in Itala legitur et apud scriptores ecclesiasticos (Hofm. 600, 1). Etiam Paulinus Pell. eum maxime adamat (cf. indicem Brandesi in voce *gerundii),* plerumque iunctum cum accusativo obiecti, quem Cicero fere nusquam, posteriores libenter admittunt (Hofm. 596, 4).

C. VI. De Gerundivo.

I. De usu praedicativo, qui latius funditur.

Verba, quae gerundivum praedicativum desiderant, in Plauti comoediis pauca, apud Ciceronem complura leguntur, cum poetae Augusti aetatis hanc structuram orationi solutae familiarem aspernentur. In argentea et maxime quidem in inferiore latinitate usus valde percrebrescit (Hofm. 595, 4). Paulinus, quippe qui gerundivii structuram omnino adamet, (cf. indicem Brandesi editionis), etiam gerundivum praedicativum saepius per analogiam structurae verborum similium dictum satis frequentat.

v. 563: *nos nostra aliis debemus participanda.* — *Debere* cum gerundivo iunctum infinitivi activi loco singularis, ut mihi quidem videtur, structura est. Gerundium et gerundivum verba *debendi* sequentia ab inferioribus demum scriptoribus adhiberi verisimile est, ut ab Innocentio (gromat. vet. I p. 313, 10 Lachmann-Rudorff): *limites requirendos oportet;* ibid. 365, 29: *requirendum oportet.* Praeterea Lucif. Calar. de non parcend. p. 283, 5 (Hartel): *deo oportuerat an Antiocho placendum.* Cf. Koffmane, Kirchenlat. p. 128.

v. 85 sq: *haec mea pagina . . . , / quam sponte expono legendam.* — v. 254 sqq: *adversis me pluribus exagitandum / laeva facultatum prorumpens fama mearum / exposuit . . .* — *Exponere* gerundivum tantummodo in latinitate posteriore asciscit, ut apud Cyprianum, cf. Hofm. 595, 4.

v. 201 sq: *mihi fida paravi / otia, privatae post impendenda quieti.* — Gerundivum e verbo *parandi* pendens dicitur imitatione gerundivi, quod in sermone puro verbum *curandi* vel *instituendi* (inde a Vitruvio) sequitur. Cf. Hofm. 595, 4.

v. 53 sq: *quidquid iam — potui meminisse, necesse est ipse fide propria de me agnoscenda retexam.* — *Retexere* = *referre* „erzählend wiederholen" gerundivum postulat similitudine verbi fere *tradendi,* cui iam temporibus optimis (Hofm. l. c.: inde a Caesare et Cicerone) gerundivum adiungitur[1].

v. 370 sq: *ardua dissuadens, quae scirem omnino neganda, / praestanda quae autem quam mox temptanda perurgens.* — Etiam *perurgere* analogia verborum *curandi* cum gerundivo construitur (v. supra ad v. 201). — *quae scirem omnino neganda* = *negatum iri* „von dem ich wußte, daß es überhaupt abgelehnt werden würde" scil. ab urbe, quacum Goar de foedere faciendo agere vult. Gerundivum in coniugationis periphrasticae quae nominatur structura adhibitum temporibus posterioribus futuri passivi vices obire notum est; infinitivi futuri passivi loco inde a Tertulliano invenitur cf. Hofm. 557, 1, Hoppe o. c. 55; v. infra v. 504. — Item *praestanda,* cum voci *neganda*

---

1. r e t e x e r e sensum verbi r e f e r e n d i apud posteriores tantum habet, ut apud Apul., Auson., Claudian.

opponatur, notionem habet infinitivi futuri passivi: „das, von dem ich wußte, daß es gewährt, erfüllt werden würde[1]“.

v. 504 sq: *sic compensandum tamen hoc ipsum mihi rebar, / commoda ut absentis praesentum cura iuvaret.* — Hic quoque verborum sententia postulat, ut gerundivum in structura coniugationis periphrasticae positum vi necessitatis amissa notione futuri accipiatur. Neque enim interpretandum est „ich glaubte, daß ich dieses so ausgleichen müsse, daß . . .“, sed „ich glaubte, daß mir dieses so ausgeglichen werden würde.“ — *Compensare aliquid* *alicui* temporibus posterioribus tantum occurit, cf. Thes. III 2048, 69 sqq.

v. 39 ssq: *sed post comperta relatu / assiduo illorum, quibus haec tum nota fuere, / propositum servans operis subdenda putavi.* — *Subdenda putavi* = *subdere volui* aut simpliciter = *subdidi.* De hac consuetudine loquendi phraseologica quam vocamus Hey ALL XV 55 sqq. agit: quasi formula adhibetur a scribis Caesarianae aetatis, quorum dicendi modo tumido aptissima sit.

II. De dativo gerundivi.

A. E verbis et locutionibus pendente.

v. 196 sq: *et fessis celerem properavi impendere curam / vinetis comperta mihi ratione novandis.* — Dativus gerundivi verbo *impendendi* appositus argenteae demum aetatis quam vocant scriptorum in usu est, ut Quint. epist. ad Tryph. 1: *quibus (libris) componendis paulo plus quam biennium impendi.* Dicitur per analogiam locutionis fere *operam dandi* iam a Plauto, aut *laborem impertiendi* inde a Cicerone cum dativo gerundivi iunctae cf. Hofm. 599, 1. Dativus ipse verbo *impendendi* subiunctus Vergilii loco excepto geor. II 61: *omnibus (arboribus) est labor impendendus* in oratione soluta argenteae denique latinitatis, ut in Taciti et Senecae scriptis, frequentius legitur, cf. Antib. s. v., Kühner II 1, 331.

v. 289 sq: *nam quosdam scimus summa humanitate Gotho-*

1. Recte Brandes, quod in B codice exstat, intellegere mihi videtur, cum pro praestandaque aūt 'praestanda quae autem' in textum recipit. Cf. quae dicit proleg. p. 284.

rum / hospitibus studuisse suis prodesse tuendis. — *Prodesse* coniunctum cum dativo gerundivi, quod a florentis latinitatis scriptoribus alienum est, primum, ut opinor, in Taciti annalibus obvenit XV 19: *ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.* Cf. *praesum,* quod inde a Cicerone, *non desum,* quod post Livium dativus gerundivi consequitur (Hofm. 599, 1).

B. De dativo gerundivi adiectivis adiuncto.

v. 213 sq: *nec . . . his (bonis) attentior amplificandis, / quam conservandis studioisor.* — Dativus gerundivi post adiectivum *attentus* positus secundum Thesaurum structura singularis est. Verbum quoque attendendi dativum gerundivi in argentea demum latinitate asciscit apud Frontin. strat I 9, 3: *custodiendis . . . nocentibus* (cf. Thes. II 1121, 29). — De adiectivo *studiosus* cum dativo gerundivi iuncto: cum dativus (cf. supra p. 4), tum dativus gerundivi voci *studiosus* appositus posteriorum scriptorum proprius est ex imitatione structurae verbi *studendi,* cui iam a Plauto dativus gerundii aut gerundivi subiungitur. *Studiosus* dativo gerundii adiunctum exstat velut apud Spart. Hadr. 2 ,1: *venando usque ad reprehensionem studiosus,* cf. Antib. s. v.[1].

C. VII. De participio.

Paulinum Pellaeum participia immoderate coacervata in deliciis habere supra p. 8/9 in parte, quae est de ablativo abso-

---

1. Hic mihi liceat de loco disserere, quo Brandes gerundivum exstitisse coniecit, praef. 5 in extr.: ea tamen ipsa, quae legerit, oblivioni potius inculpata (Br.: inculcanda) deleget, quam memoriae diiudicanda commendet. Contra Brandesium, qui inculcanda in textum recepit, inculpata, quod B et P consensu traditur, defendi posse mihi videtur. In extrema enim praefatione auctor legentes alloquitur: cogitent opus magis conscriptum esse, ut acceptum deo sit quam ut carmen incultum ad notitiam perveniat doctiorum. Attamen si quis legat, ea, quae legerit, oblivioni potius inculpata deleget, quam memoriae diiudicanda commendet. Ergo ei qui legunt rogantur, ut operi indulgeant et iudicio abstineant; ea quae legerunt quasi inculpata, i. e. quae culpa reprehensioneque libera sunt quaeque omnino non iudicantur, oblivione potius obruere debent quam animo tenere, ut iudicium de iis faciant (memoriae

luto, exemplis docuimus. Ut omittam locum illic allatum (v. 323 sqq), respiciendi sunt in primis v. 372 sqq: *quae non sero probans vir prudens ipse secutus, / ilico consultis per se primatibus urbis / rem coeptam adcelerans una sub nocte peregit / auxiliante deo* et v. 390 sqq: *qua se truncatam parte agminis haut mediocris / circumiecta videns populantum turba Gothorum, / ilico diffidens tuto se posse morari / hoste intestino subito in sua viscera verso, / nil temptare ausa ulterius properanter abire / sponte sua legit.* Cf. etiam vv. 8—16, 149—151, 187—190, 474—477. Similia saepe reperiri possunt temporibus posterioribus, ubi, quid sit circumscriptus et quasi rotundus ambitus verborum, scriptores non iam sentiunt, veluti apud script. hist. Aug., Greg. Turon. (cf. Bonnet 650 sq), praecipue in Ammiani Marcellini opere (Hofm. 603, 1, 813, 2).

De participio praesentis pro perfecti substituto.

v. 187 sqq: *sed semel impositum* s t a t u e n s *tolerare laborem / suffragante animi studiis fervore iuventae, / vix paucis domus indeptae exercere diebus / gaudia contentus, malesuada otia curis / mutare insolitis cito meque meosque coegi.* — v. 326 sq: *filia ut ante mea per me sociata marito /* e x c e d e n s *patria communi clade careret.* Vv. 372 et 390 vide supra; v. 498: *quae (scil. solamina) mihi iam derant natis* a b e u n-

---

diiudicanda commendet). Inculpata et diiudicanda verba mutuo se respicientia eo magis congruunt, quod ambo iurisconsultorum sermonis propria sunt. — Praeterea verbis quae elegerit a Brandesio in textum receptis verba quae legerit, quae in codice B exstant, praeferenda esse mihi videntur, praesertim cum nihil habeant offensionis. Antecedunt enim haec: sive aliquid seu forsitan nihil in gestis vel in versibus meis, quod possit probare, repperit, ea tamen ipsa, quae legerit, oblivioni e. q. s. Legentes igitur omnia quae legerunt, sive aliquid sive nihil iis placuit, oblivisci debent. quae elegerit = das, was der Leser ausgewählt hat primam tantum condicionem, i. e. si quid legenti placuit, respiceret, cum condicio altera seu forsitan nihil supervacanea esset et plane neglegeretur. Quod nullo modo fieri posse arbitror. Accedit, quod sententia legentes ea quae legerunt penitus obliviscantur fini praefationis aptissima est.

tibus a me. — Usus participii praesentis sensu plane praeteriti dicti, quod perfecti activi participium inusitatum compensat, exceptis consuetudinis initiis, quae Vergilius (Aen. I 305), Livius, Tacitus exhibent, frequentius apud posteriores denique scriptores invenitur, e. g. apud Greg. Turon., Chiron., in scriptis e Graeco translatis, ut in Vulgata, a Graeco modo dicendi acceptus, cf. Kaulen, Handb. z. Vulgata, Freiburg 1904 p. 228; etiam poetis inferioris aetatis, veluti Sedulio, plerumque metri causa, familiaris, est, cf. Hofm. 605, 1, Kühner II 1, 757. — Ad v. 498: In ablativi absoluti constructione participium praesentis sensu praeteriti usurpatum inde a Livio legitur (Hofm. 464, 4). De participio perfecti passivi notione reflexiva participii perfecti activi vice fungente cf. caput, quod *de generibus verbi* inscriptum est.

De participio particulis subiuncto.

v. 382: *communi tamquam Gothico salvatus ab hoste.* — *Tamquam* participio inde a Cicerone Verr. II 5, 28 adiungitur. — v. 167: *quippe reus culpae potius quam criminis esse / praeponens* .v. 287 sq: *nullo ut quippe domum speciali iure tuente / cederet in praedam populo permissa abeunti.* — *Quippe* participio appositum, quod ex poetis Lucretius primus III 190, in oratione soluta Sallustius hist. I 48, 5 Dietsch (= or. Phil. 5) admittit, Augusti demum aetate viget. Ablativo absoluto adiunctum post Liv. III 63, 2 invenitur (Hofm. 603, 4, 448, 2, Kühner II 1, 792). Etiam gerundium participii loco positum Paulinus Pell. cum *quippe* iungit v. 506 sq: *fructus quippe rei nostrae, quicumque fuissent, / sponte sua mecum paulatim participando.* — v. 429 sq: *quem* (scil. *amorem*) *scio me fidum primis debere propinquis, / quamlibet offensum: quamlibet* participio appositum poetis inde a Lucretio familiare est, praecipue Ovidio, solutae orationi recentioris aetatis post Velleium II 3, 4 (Hofm. 603, 4, Kühner II 2, 446), cf. quod supra p. 9 de coniunctionibus abl. abs. adiunctis disseruimus.

Participium praesentis verbi *esse* alio verbo circuitur: v. 358 sq: *praesidium se posse mihi praestare negavit / extra urbem posito.* — Participium praesentis verbi substantivi voce *positus* compensatum argenteae latinitatis pro-

prium esse videtur fortasse inde a Sen. de clem. I 23, 1: *incredibile scelus et ultra audaciam positum* (= ὄν) cf. Nägelsbach p. 414, apud iurisprudentiae scriptores posteriores praeter *constitutus* (ex imitatione verbi Graeci καθεστώς) legitur cf. Kalb p. 126: post Scaevolam. De vocabulis *existens, consistens* in scriptis ecclesiasticis pro participio verbi *esse* substitutis v. Koffmane p. 125. *Positus* in primis Salvianus, ipse quoque Gallus et aequalis Paulini Pellaei, frequentat, cf. exempla a Brakmano collecta (Observationes grammaticae et criticae in Salvianum, Mnemosyne LII 143).

C. VIII. De genere verbi.

De verbis deponentibus passive dictis.

Haec notio participio tantum perfecti subiecta est. Participia perfecti deponentium passive posita in sermone puro singillatim, post Livium saepius inveniuntur, florent in posteriore latinitate.

contestatus

v. 585 sq: *grates . . . , / quas contestatas tota haec mea pagina praesens / continet* — *Contestatus* iam Cicero Flac. 11,25 sensu passivo usurpat: *virtus contestata,* idem in dictione iuris consultorum propria *contestatam litem* admittit, ut Rosc. com. 11,32, praeterea Sen. ep. XIII 5 et saepissime apud iuris consultos exstat, cf. quae Neue-Wagner[3] III 95 affert. In latinitate posteriore passivi usus exempla praeter hanc locutionem omnino abundant, cf. Thes. IV 690, 18 sqq, Antib. s. v.

emensus

v. 262 sq: *emensis indepta malis tua munera fando / prodere.* — Excepto Caesaris loco corrupto b. c. I 5, 2, ubi Mommsen *emenso spatio* coniecit (de quo loco cf. Meusel, Lex. Caes. I) *emensus* primum, ut videtur, passive dicitur a Vergilio Georg. I 450: *emenso Olympo,* deinde ab Ov. met. XV 186: *cernis . . . emensas in lucem tendere noctes,* duobus locis a Livio (XXI 30, 5, XXXXIII 21, 9), tum scriptoribus argenteae et inferioris aetatis (persaepe Amm. Marc.) usitatum est, cf. Neue-Wagner[3] III 62.

expertus

v. 35 sq: *rursus ad aequor / expertasque vias revocor* (vim activam habet v. 409). — *Expertus* passive positum secundum Antibarbarum scriptoribus probatis ignotum est; legitur autem Cat. agr. 157, 10, Planc. ap. Cic. fam. X 24, 3, bell. Alex. 61, 1, Ciris 325; praeterea a Prisciano 8 p. 386, 19 H duo Accii et Asinii Pollionis loci memoriae traduntur. Inde a Propertio et potissimum in Livii et Taciti operibus in frequentiorem usum venit. Neue-Wagner[3] III 33.

indeptus

v. 189 sq: *vix paucis domus indeptae exercere diebus / gaudia contentus,* cf. supra v. 262. (v. 112 active usurpatur) — *Indeptus* notionem passivam posterioribus tantum temporibus habet, ut apud Salvianum gubern. Dei VII 21, 92; v. Neue-Wagner[3] III 23—24.

perscrutatus

v. 357: *perscrutato autem, ut potui, interius viri voto.* — Passive item nusquam nisi aetate posteriore dicitur et maxime quidem, ut etiam Paulini loco, in ablativi absoluti constructione, e. g. Amm. XVII 4, 6, Augustin. ep. 206, 6.

praefatus

v. 291 sq: *sed mihi ad sortem praefatae condicionis / addita maioris nova est quoque causa laboris.* — *Praefatus* sensu passivo positum posteriores in usu habent, velut Auson. epigr. praef. 2, 43, frequentatur ab iuris consultis, cf. Neue-Wagner[3] III 44, Antib. s. v. praefationis, Kaulen 193.

indultus

praef. 3: *indultis humano generi temporariis voluptatibus etiam ipse prima mea aetate non carui.* — Usus transitivus verbi *indulgendi* prisco generi dicendi, ut Terentio, Lucilio, Afranio, tum Livio et recentioribus familiaris est. Passivum personaliter dictum tantummodo, nisi fallor, aetate posteriore inde a Gellio exstat praef. § 1: *quando animus eorum laxari indulgerique potuisset,* ubi *indulgeri* a verbo transitivo *laxandi* affectum esse perspicuum est, tum apud posteriores scriptores iurisprudentiae (ut Callistr., Ulpian., Modestin., cf. Heumann Lex.), apud script. hist. Aug., Iordanem, Gregorium Turon. (cf. Neue-Wagner[3] III 269), al. Hofm. 377, 2. Antib. s. v.

De participio perfecti passivi sensu activo posito.

v. 608 sq: *ambiguae nec me discrimina vitae / suspectum exagitent varii formidine casus.* — *Suspectus* = *suspicionem habens, suspicans* „argwöhnend" active dicitur primum, ut opinor, a Catone dist. 4, 44 (iuxta vocabulum *timidus* positum), tum demum a posterioribus: Apul. m. IX 20, Tertull. apol. 21, id. de cult. fem. 2, 4 extr., Claudian. VIII 273 (p. 160 Birt), Cassian. conl. XII 4, 3, Jordan. 93, 16 (Mommsen, et 48, 29 = *cupidus),* saepius apud Greg. Tur. cf. Bonnet p. 262. Sequitur accusativus = *suspicans aliquem* „mißtrauisch gegen jem.": Vita Severi 15, 5 *multos etiam, quasi Chaldaeos aut vates consuluissent, interemit, praecipue suspectans* (sic Peter et Hohl) *unumquemque idoneum imperio.* Codd.: *suspectos,* Salmasius: *suspectus. Suspectus* vocabulo *suspectans* praeferendum esse mihi persuasi, quia multo facilius *tus* in *tos* a librario neglegenti corrumpi potuit quam *tans* in *tos.* Etiam locus alter, ubi *suspectus* cum accusativo iunctum active ponitur, adhuc ab omnibus editoribus falso emendatus est: Ammian. XXIX 4, 5 *satellites exciti, idque quod accideret suspicati,* sic editores ab Accursio et Gelenio usque ad Clarkium, quamquam Vaticanus secundum Gardthausenum *suspecti,* secundum Clarkium *suspencti* exhibet. Iam Petschenig *suspecti* postulavit, quae lectio quin vera sit, mea quidem sententia dubitari non potest. Altero quoque loco Ammianus *suspectus* cum *de* praepositione coniunctum active dicit: XVI 12, 27. *Severus dux Romanorum ... stetit inpavidus suspectiorque de obscuris nec referre gradum nec ulterius ire temptavit.* Quibus exemplis allatis Paulini Pellaei verba *discrimina suspectum* = *discrimina suspicans* „mich, der ich argwöhnisch bin gegenüber den Gefahren des Lebens" nihil habent offensionis, neque est, quod cum Brandesio *discrimina* in *discrimine* mutemus. Participia pefecti passivi sensu activo omnibus temporibus usurpantur, etsi scriptores optimi in iis admittendis parcissimi sunt; raro autem accusativum asciscunt, cf. exempla e Plauto, Velleio, carminibus epigraphicis sumpta, quae Hofmann p. 545, 1 praebet. *Suspectus* cum accusativo iunctum posteriore tantum aetate in usu esse videtur.

v. 164 sq: *carumque memor servare pudorem / cedere et ingenuis oblatis sponte caverem.* — *Offeri* hoc loco notione mediali accipiendum est: verba passiva, quae sensum reflexivum medialemque habent, omnibus temporibus leguntur, cf. Kühner II 1, 106 sqq, Schäfler Graezism. d. aug. Dichter p. 9—10. Saepius participium perfecti passivi significatione mediali pro inusitato participio perfecti activi substituitur. *Offeri* in sermone puro tantummodo de rebus medialiter dicitur, de personis inde a Livio, nisi fallor, V. 13, 12: *forte oblati populatores* et frequentius a Tacito, e. g. hist. III 14, 5: *forte oblatos . . . milites, ignaros et insontes, trucidant.*

De verborum intransitivorum constructione gerundivi.

v. 431: *gratulanda haec nunc mihi sors est.* — *gratulanda* B; Brandes et editores priores: *gratanda;* P: *gratuanda.* Ego quidem non intellego, cur verbum traditum *gratulanda* e textu eiciamus, praesertim cum errores prosodiae, ut *gr*ă*tulanda* pro *gr*ā*tulanda,* apud Paulinum passim obviam fiant. — Obiectum accusativi verbum *gratulandi* iam in prisca latinitate aliquoties sequitur (Plaut. Capt. 502, Stich. 567; Ter. Eun. 259), etiam apud Ciceronem: Phil. II 28, Att. V 20, 1, Cael. ap. Cic. fam. VIII 13, 1[1].). Tum Livius, Curtius, posteriores accusativum admittunt, cf. Kühner II 1, 261. Sed in gerundivi constructione aut sensu passivo adhibitum verbum reperitur aetate inferiore: in Frontonis de nep. am. lib. II (Naber p. 233) *mors gratulanda potius est hominibus quam lamentanda (gratulanda* analogia verbi *lamentandi,* ut videtur, dictum),; Paulinus Nolanus carm. X 108 verbi *g r a t a n d i* gerundivum usurpat: *amplector . . . mihi gratandas salvis affectibus iras.* Passive gratulari a Tertulliano ponitur Pall. 5 (I 947 Öhler).

v. 463 sq: *sed tua magna manus divina et provida virtus / consilio sanctorum cuncta operando peregit.* — Verbo *operandi*

1. Quibus duobus locis extremis codex Mediceus ablativum exhibet: primo loco, Att. V 20, 1, omnes editores cum codicibus Melaspinae accusativum in textum recipiunt, loco altero, fam. VIII 13, 1, Mendelssohn et CFW Müller soli ablativum retinent, quamquam ambo ad accusativum a Lambino propositum inclinant, cf. Antib. s. v.

transitive (et passive et in gerundivi constructione) posteriores tantum et in primis scriptores ecclesiastici utuntur, velut Lactantius, saepius Lucif. Calar., Augustin., al. De iunctura *opus operandi* posterioribus familiari cf. CFW Müller, Nom. u. Acc. p. 32. *Operatus* sensu passivo inde a Tertulliano legitur, tum apud Lactant., Iul. Val., Nov. Test. Io. 3, 21 (in quibusdam interpretationibus) cf. Neue-Wagner³ III 71, Roensch p. 388; aliae formae passivi generis a Georges Wortformen p. 475 collectae sunt. Usus transitivus verbi *operandi* a participio perfecti passive dicto, quippe quod ante ceteras formas passivas structuramque transitivam legatur, profectus esse videtur ad exemplum verborum similium *faciendi, efficiendi.* Cf. similia quae Hofm. commemorat p. 377, 1. Gerundivum exstat Exod. 16, 23: *quodcumque operandum est, facite.*

v. 468: *confessusque igitur paenitenda quae mihi noram . . .* — cf. v. 306: *nec paenitenda manet (sc. pax).* — *Paenitere* personaliter dictum iam in prisca latinitate obvenit: absolute apud Pacuvium, cum genitivo coniunctum inde a Sallustio ponitur, identidem temporibus posterioribus (v. Hofm. 407 2[1]), sed *paeniteo rem,* quod constructio gerundivi postulare videtur, nusquam exstat, cf. CFW Müller o. c. p. 131. Quae cum ita sint, e gerundivo *paenitendus,* quod a Livio usque ad scriptores posterioris aetatis occurrit (cf. Neue-Wagner³ III 658, CFW Müller l. c.), intellegi potest verbum *paenitendi* transitive usurpari coeptum esse — similitudine, ut videtur, verborum transitivorum affectum significantium, ut *dolendi, lamentandi, querendi;* contra autem alia verba, ut *triumphandi, regnandi,* quae participio perfecti passivi aut gerundivo admisso ex parte passive dicuntur, *paenitere* praeter gerundivum alias formas passivi generis non admittit. Similiter *pudere, pigere, taedere* in gerundivi sola constructione passive ponuntur. Cf. Müller l. c.

C. IX. De temporibus et modis.

v. 535 sq: *expensas, vitae quas posceret usus, / conductis studui ex agris sperare paratas.* — Infinitivum perfecti

1. Plauti locus Stich. 51: m e ... c o n d i c i o n o n p a e n i t e t, adulterinus est cf. Steinthal, de interpol. Plt. p. 46.

verbo *sperandi* appositum, qui aliquid certe factum praeteritumque significat, iam scriptores optimi adhibent, ut Cicero Tusc. II 67: *meque spero liberatum* (saepius in epistulis) et Livius IV 15, 6: *sperasse libertatem se civium suorum emisse.* Cf. Hofm. 587, 2, Kühner II 1, 689, Antib. II p. 598 extr.

v. 346 sqq: *ut me praesidio regis dudum mihi cari, / cuius nos populus longa obsidione premebat, / urbe ab obsessa sperarem abscedere posse = abscessurum esse.* — Tempus futurum interdum voce *posse* cum infinitivo iuncto notatur, quem usum loquendi iam Caesar semel admisit b. g. I 3, 8: *totius Galliae sese potiri posse sperant = potituros esse.* Cf. Hofm. 557, 3. Talibus locis infinitivum praesentis dici non, quia infinitivus futuri verbi *posse* a sermonis consuetudine alienus sit, sed quia *posse* per se notionem quandam futuri habeat, Thielmann docet ALL II 167. Ex saeculo quarto usus ultra verbum *sperandi* funditur, maxime quidem apud scriptores hist. Aug., cum infinitivus futuri activi, ut Paulini loco, rarius circumeatur. — Neque vero pro futuro solo *posse* substituitur: in posteriore latinitate (fortasse iam Phaedr. III epil. 5: *habere ut possit)* etiam alia tempora significat ita quidem, ut, quodcumque tempus notatur, infinitivo verbi principalis tempus aptum vocis *posse* apponatur. Huiusmodi circumlocutiones paulatim increbrescunt ea de causa, quod lingua posterioris aetatis indulget dicendi modo fusiori, ubi vis pondusque verborum abundantiae loquendi concedunt, cf. Löfstedt, Komm. 207—208, qui multa exempla profert e peregrinatione Aetheriae, aliunde, e. g. Amm. Marc. XVII 9, 6: *quod nec ipsi quod daret suppetere poterat usquam.* In quibus etiam hi Paulini Pellaei loci numerandi sunt: v. 573 sq *cunctaque ipsa etiam, quae iam tenuatus habere / Massiliae potui,* — v. 375 sq *auxiliante deo, cuius iam munus habebat, / quo nobis populoque suo succurrere posset,* — v. 569 *nunc quoque sic ipsi iuvenascere posse dedisti;* fortasse etiam v. 299 sq *quos ad praesidium vitae praesentis habere, / non etiam imperii poterat.* —

Hic mihi liceat praeter verbum *posse* alia vocabula afferre, quibus in posteriore latinitate verbum fusius explicatur. Quamquam de his omnibus locis certum iudicium facere interdum difficile est, tamen in Paulini carmine *videri* nonnunquam red-

undanter aut metri causa positum esse certe, ut mihi videtur, cognosci potest: v. 55 sqq *ex nostris puerilibus annis, / quos mihi libertas ludusque et laetior aetas / conciliare suis meritis potuisse videntur* (voci *posse* additum); similis est v. 457 sqq: *cum mihi plena domus caris affectibus esset, / qui sibi servari consuetam indicere curam / posse viderentur.* 272 *sq: patria, in qua scilicet ortus / possessorque etiam non ultimus esse videbar,* v. 533 sq: *fundare domum summa in crepidine saxi, / ne quid de spatio terrae minuisse viderer.* Cf. etiam v. 559: *omnia, quae possunt etiam nunc nostra videri = esse.* Quod *videri* verbi *esse* quoque vice fungitur, cf. Lucr. I 224: *nullius exitium patitur natura videri,* et quod Munro nullo loco simili allato annotat: *videri hic = esse, ut saepe Graece* φαίνεσθαι pro εἶναι *dicitur* (veluti Xen. Cyr. V 2, 4 . . . ὁ Κῦρος . . . . . βουλόμενος ἰδεῖν εἴ που εἴη αἱρέσιμον τὸ τεῖχος, εἰ ψευδὴς φαίνοιτο ὁ Γωβρύας . . . al.).

Videri quoque, quod adiunctum infinitivo verbum fusius explicat, Lucretio usitatum est, neque vero sine ratione quadam dicitur, cum apud posteriores verbum prorsus inane fiat, ut saepe in interpretatione Latina Theodori Mopsuesteni, quamquam Graeco sermoni hic usus omnino deest, cf. Löfstedt, Komm. p. 211. — Praeterea v. 6 sq: *effectum scriptis tribuens votisque profectum, / ut tua te merear percurrere dona iuvante, — mereri* circuitum loquendi, i. e. locutionem devotam accipiemus, neque cum Brandesio = *consequi* interpretandum est. Quae verbi notio, cum vix in usu sit, tamen posterioribus temporibus in Venantii Fortunati scriptis oratione soluta confectis saepius occurrit, et, ut apud Paulinum Pellaeum, de iis quidem dicitur, quae dei gratia alicui conceduntur, cf. Löfstedt l. c.

v. 100 sq: *hoc me credere fas est / conduxisse mihi, quod te voluisse probasti = velle probasti..* Agitur de infinitivo perfecti praesentis loco posito. Infinitivus perfecti activi sensu non praeterito dictus e prisca latinitate, ubi frequentius in interdictis usurpatur, a poetis, quia metro commodus est, accipitur: primum a Lucretio et Catullo, tum ab omnibus qui versus hexametros scribunt et Augusti et argenteae quam vocant aetatis christianisque poetis. Potissimum verba auxiliaria, ut *posse, debere,* al., eum asciscunt; etiam post verba *ducendi* et *prope-*

randi a Tertulliano adhibetur, cf. Hoppe o. c. 54, Hofm. 592, Norden Komm.[3] 147.

v. 56 sq: *quos (sc. annos) mihi libertas ludusque et laetior aetas / conciliare suis meritis potuisse videntur.* v. 534: *ne quid de spatio terrae minuisse viderer.* — *Video(r)* a scriptoribus posterioribus cum inifinitivo perfecti activi coniungi solet, velut Ennod. dict. 22, 10 p. 496, 9 Hartel (Hofm. 592, 3), cf. etiam epigramma e Gallia oriundum (a. 551), quod exstat apud Pirson o. c. p. 209.

De fomis plusquamperfecti passivi et deponentium, quae plusquamperfecto verbi substantivi conformantur.

v. 312: *Gothi, fuerant qui in pace recepti.* v. 322: *eventum fuerant nostrum quaecumque secutae.* — Hae formae omnibus temporibus inveniuntur, praecipue apud scriptores vulgares, ut in bello Africano et Hispaniensi et apud Vitruvium; a poetis (Ovidio, Propertio) metri causa adamantur, late patent in posteriore latinitate nullo modo a formis voce *eram,* sim. conformatis distinctae.

De formis perfecti passivi, quae perfecto verbi substantivi conformantur.

v. 237 sq: *tempora vitae / temporibus ruptae pacis prope iuncta fuere.* v. 438 sq: *quae peritura, . . / utiliter subtracta mihi cognosco fuisse.* — Quae formae omnino rarae et posteriores quam plusquamperfecti sunt, quas modo commemoravimus. Copiam certorum exemplorum Vitruvius demum praebet, tum Florus, Justinus, al.; saeculo septimo denique magis magisque percrebrescunt. Cf. Hofm. 562, 4.

v. 149 sqq: *nec minus et vegetus veloci currere vectus / semper equo gaudens quotiens evasero casus / abruptos, recolens — Christi me munere fas est / credere servatum.* — Similiter Cassianus, Paulini Pellaei aequalis popularisque, dicit c. Nestor. praef. § 1: *cumque etiam minoribus impar fuero, par maioribus a te esse compellor.* Agitur de persona prima futuri exacti coniunctivi perfecti loco posita. Observandum est primum futurum exactum, quippe quod forma coniunctivus

aoristi sit, quem nos is-Aorist vocamus, quasi propinquitate quadam cum coniunctivo coniunctum esse, deinde futurum et coniunctivum notione per se arte cohaerere, cf. Hofm. 554, 2 et 3, Leumann p. 339. Accedit, quod omnes futuri exacti personae prima persona singularis excepta eodem modo ac coniunctivi perfecti formatae sunt ita, ut alterae significationem ab alteris facile accipere possint, praesertim cum quantitates vocalis *i* principio inter se differentes iam inde a priscis temporibus non discernantur. Ex omnibus quae aguntur formis sola futuri exacti persona prima singularis tempus modumque, coniunctivi perfecti persona prima modum saltem plane indicat, cum ceterae extra verborum contextum positae nec modum nec tempus notent (cf. Blase hist. lat. Gramm. III 1 p. 176). Re vera alterae tertiaeque personae aut notione coniunctivi aut modum omnino non significantes per totam latinitatem inveniuntur (cf. Blase l. c. 182 et 193): loci notione potentiali et imperativa apud Plautum et in Ciceronis epistulis exstant, persona altera in aetate argentea quam vocant plane imperativi loco usurpatur, velut a Columella, cf. Hofm. 564, 2. Praeterea iam in Plauti comoediis locos legimus, quos viri docti modo coniunctive modo indicative accipiunt; rem ipsam diiudicare saepe difficillimum est (cf. Hofm. 564, 1, Blase 193). In oratione soluta a Livio usque ad imitatores scriptorum priscorum et metri causa apud poetas qui hexametros scribunt — persona prima singularis ad versum heroum non apta est — sententiae principales absolute positae solas fere formas praebent, quarum extrema syllaba vocalem *i* continet, ex quo Blase l. c. p. 182 colligit omnes hos locos fortasse sensum coniunctivi habere, praesertim cum saepius prope ad notionem potentialem accedant. Modum non notari significationemque perfecti futuri deficere e scriptorum vulgarium (Vitruvii, Scribonii Largi, posteriorum) usu perspici potest, quippe qui in una eademque sententia futuro exacto una cum indicativo aut coniunctivo praesentis vel perfecti aut cum indicativo futuri primi utantur. Testimonia vide apud Blaseum p. 196 et ALL X 334. Quae cum ita sint, coniciendum est ambiguitatem modalem temporalemque ab alteris tertiisque personis translatatam esse in primam personam singularis, quae sola tempore et modo defi-

nita sit formaque a ceteris differat[1]. *Videro* et similia coniunctive intellegunt Ruhnken et I. v. Müller, cui Blase assentitur negans *videro* certam modi notionem apud posteriores habere (Blase 184). *Videro* formulae modo usurpatum, quod solum e futuri exacti formis usque ad posteriora tempora conservatum est, secundum Mommsenum idem est ac *viderim* Cassiod. Var. ed. Mommsen p. 192, 9: *videro, quod delictum lapsus excuset: homicidii crimen est in hominis salute peccare,* quocum Mommsen in indice p. 526 comparat hos duos locos: I.) inst. hum. apud Halm. rhet. lat. min. p. 500, 22 *sed videro, quantum in aliis partibus lector suum exercere possit ingenium,* II.) Ennod. ed. Vogel 211, 39 *videro quis me vincat facundia* (v. Blase 185). Praeterea persona prima numeri singularis futuri exacti sensu modali in quaestionibus deliberativis adhibetur, velut a Seneca rhetore, qui usus secundum Hofm. 564, 2 rarus et argenteae demum latinitatis proprius est. Formae in —*ero* exeuntes exstant ipsis locis, quibus potius coniunctivus exspectetur, ut Cic. Rosc. Am. 123: *de quibus, si coepero dicere, pluribus verbis sit disserendum;* id. div. II 131, cf. Kroll Glotta VII 132, CFW Müller adn. crit. p. XX. Similia autem eorum, quae Paulinus Pellaeus et Cassianus praebent: in sententia secundaria, quae coniunctivum postulat, futurum exactum coniunctivi perfecti loco positum, nusquam reperire potui. Quae tamen eodem modo, ut supra dixi, explicanda esse nemo est, quin videat: persona prima singularis, quamquam natura certum modum tempusque indicat, a ceterarum personarum ambiguitate ita affecta est, ut et ipsa coniunctivus perfecti in enuntiato secundario coniunctivum exigente intellegi posset. — Quam rationem in posteriore latinitate formae in *-o* cadentes haberet ad formas, quae syllaba *-im* teminantur, nondum a viris doctis quaesitum est; ut Blase docet ALL X 333, apud posteriores formae in *-im* exeuntes formis, quae in *-o* exitum habent, plane cedere videntur in talibus sententiis condicionalibus, quales *si fuerit — erit, si fuerit — est,* ex quo Blase concludit

---

1. Contra Kroll (wiss. Syntax p. 68) personam primam coniunctivi perfecti (n o n f a c i l e d i x e r i m, al.) notionem futuri aut voluntatis habere vult, ex quo concludit differentiam formarum d i x e r o et d i x e r i m non genuinam, sed postea illatam esse.

in prima tantum persona singularis indicativum a coniunctivo posterioribus temporibus distinctum esse. Contra mihi quidem videtur secundum ea, quae supra de formis, quae littera *-o* finiuntur, exposui, etiam his locis coniunctivi notionem formarum in *-o* cadentium aut saltem ambiguitatem modalem analogia ceterarum personarum accipiendam esse. Blase enim ipse in huiuscemodi periodis condicionalibus formas *fuerit,* sim. excepta sola, ut supra dixi, persona prima singularis, quae syllaba *-o* terminatur, sensum c o n i u n c t i v i habere ducit easque *condicionales praesentis* appellat (ALL X 316—317). Ex altera parte, quantum viri docti rem pervestigaverunt, formas syllaba *-im* conformatas in posterioris aevi latinitate ab usu removeri ex eo cognosci potest, quod coniunctivus perfecti sensu potentiali, cuius ipsa persona prima eodem sensu adhibita inde ab Augusti aetate late fusa erat, post Sulpicium Severum vix legitur et paulatim prorsus intercidit, v. Blase Gramm. 203 et 205, Hofm. 571, 4. — Iam omnia paucis comprehendamus: si *videro* idem ac *viderim* in posteriore latinitate valet (cf. supra exempla e Cassiodoro, Ennodio, rhet. lat. min. allata), si in talibus periodis condicionalibus quales *si fuerit — erit, si fuerit — est fuerim* verbo *fuero* loco demotum est, si persona prima singularis futuri exacti pro persona prima singularis coniunctivi perfecti poni potest (v. testimonia Paulini Pellaei et Cassiani), tum concludendum esse mihi videtur posteriore aetate formam, quae *-ero* terminatur, notione temporis modique amissa in unum coisse cum forma in *-erim* exeunte, cuius vim modalem illa sibi sumpsit. Cuius rei causa est, quod, ut supra demonstravimus, personarum alterarum tertiarumque potestas modi et temporis per totam latinitatem ambigua est, quod pro sua parte efficitur e similitudine formarum futuri exacti et coniunctivi perfecti.

C. X. De consecutione temporum.

v. 264 sqq: *quanta mihi per te conlata potentum / gratia praestiterit, facile experiendo probavi . . . , / quantum et econtra vi impugnante maligna / ipsa patronorum mihi ambitiosa meorum / obfuerint studia et nostri evidenter honores.* — Locus nihil habet offensionis, cum praeterito vis perfecti praesentis

attribui possit: *probavi* idem valet ac *nunc scio*. Quod si ita est, iam florentis latinitatis scriptores consecutionem praesentis in interrogationibus indirectis admittunt, maxime tum, cum sententia primaria postponitur, cf. Hofm. 703, 2.

v. 170 sqq: *sed neque hoc etiam mea inter gesta silebo, / unum me nosse ex me illo in tempore natum, / visum autem neque illum tum, quia est cito functus, / nec quemquam, fuerit spurius post qui meus, unquam.* — Consecutio temtemporum absoluta, i. e. tempus sententiae secundariae, quod tempori praeterito in sententia primaria posito subiunctum est, ad praesentiam refertur, in quibuscumque sententiis relativis exceptis eis, quae sensum finalem habent, iam in prisca et florenti latinitate obvenit, praesertim si sententia primaria negatur. Cf. exempla, quae Kühner affert II 2, 190 b. Hofm. 712, 3.

v. 494 sq: *(coniunx) quae mihi, cum fuerit rectis contraria votis / officiente metu, fuit et defuncta dolori . . .* — Hic quoque locus non nimis in consecutione temporum peccat, nam *cum* non est purum *cum historicum* sensu *postquam* = als, nachdem sie sich meinen Wünschen entgegengestellt hatte, sed correlativum est vocis *et*, i. e. *cum — et* idem valere videntur ac *cum — tum:* wie sie sich schon meinen Wünschen entgegengestellt hatte, so bereitete sie mir vollends bei ihrem Tode Schmerz[1]. In eiusmodi sententiis correlativis iam Cicero paucis locis consecutionem temporum absolutam admittit, ut Brut. 250: *cum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a . . . . Cratippo instructum omni copia multo videbam similiorem* (cf. Att. 14; 17A, 4, Lebreton: langue et grammaire de Cicéron Paris 1901 p. 344, Kühner II 2, 351b[2]). Coniunctivus ipse inde a Cicerone legitur in iis sententiis correlativis a *cum* incipientibus, quae sensum habent causalem concessivumque. Quem sensum coniunctivus etiam Paulini Pellaei loco prae se fert.

---

1. De correlativis cum — et cf. infra p. 58 sq.

2. Sententiis, in quibus cum — tum correlativa exstant, exceptis consecutio temporum absoluta in enuntiatis, quae a cum incipiunt, causalibus aut concessivis cum ab omnibus scriptoribus tum a Cicerone frequentatur cf. Lebreton l. c. 234/35 et 271, Kühner II 2, 189/90. Hofm. 703, 3.

Respiciendum quoque est his tribus locis, quos modo explicavimus, vv. 264, 170, 494, fortasse metri causa tempus consecutioni temporum legitimae non aptum electum esse. De hac poetarum licentia dicendi, quae iam a lingua prisca aliena non est, v. Hofm. 703, 3.

v. 487 sq: *(coniunx), quam nec invitam trahere usquam fas mihi rebar / parque nefas esset subtractis linquere natis.* — Posteriores in sententiis relativis inter indicativum et coniunctivum sine ulla ratione variare solent, quem usum iam Varro et interdum etiam Cicero clausulae adhibendae causa in primitiis aliisque scriptis non aspernantur. Poetae metri causa usui favere videntur, cf. Hofm. 712, 3, 708, 4. Quod Paulinus Pellaeus hoc loco inter indicativum et coniunctivum variat, fortasse sic explicari potest: altera parte sententiae relativae id quod non est exprimitur: *parque nefas esset,* neque vero hoc *nefas* factum est; etiam modum irrealem *fuisset* pro *esset* exspectes. Baehrens quoque in sententiis relativis varietatem modi causis psychologicis, ut ita dicam, adduci commemorat (Philol. Suppl. XII p. 525).

C. XI. De interrogationibus indirectis.

v. 556: *nescio, si salvo possim gaudere pudore.* — *Si* in interrogationibus indirectis iam apud priscos exstat, aurea aetate, quae dicitur, post verba *exspectandi* et *conandi* locum habet, usus liberior est inde a Livio et Propertio, in primis apud Vitruvium; in posteriore latinitate ex imitatione librorum e Graeco translatorum valde percrebrescit. *Scire si* et *nescire si* a posterioribus frequentantur, veluti Tertull. Res. 14: *nescio iam, si deus (est),* id. Bapt. 15 in. (Hoppe p. 73); Deut. 13, 3: . . . *ut sciat, si diligitis dominum deum vestrum;* cf. Roensch p. 404. Greg. Tur. mart. 35 p. 511, 4: *nescire se ait, si annus integer praeterisset,* id. hist. Apollon. 35 p. 43, 9 (Bonnet 321). Exempla e vitis patrum afferuntur a Salonio p. 315. — Quod ad modum in interrogationibus indirectis a *si* incipientibus aetate inferiore usitatum pertinet, Löfstedt in sermone Tertulliani (Tertullians Apolog., Lund 1918 p. 58) et Salonius in vitis patrum (vit. patr. p. 314/315) hoc praeceptum servari docent: post tempora primaria (etiam post imperativum et coniunctivum hortativum) sententia a *si* incipiens indicativum praebet. Quem

Tertulliani scriptorumque vitarum patrum usum non quasi regulam omnes posteriores secutos esse e Paulini Pellaei loco facile intellegitur, quo post tempus primarium coniunctivus ponatur. Cf. etiam Greg. Tur. conf. 39 p. 772, 11: *hic liber si sit, ignoro.* Coniunctivum etiam post coniunctivum hortativum legi tales loci docent quales Salvian. III 52: *sed videamus tamen, si vel id ipsum parum sit carens crimine*[1], et Fausti ep. (Apollin. Sid. ed. Luetjohann p. 277, 32): *videamus si . . . defendat.* Post imperativum coniunctivus exstat veluti Greg. Tur. h. Fr. II 7 p. 69, 3 Arndt-Krusch: *aspicite . . . , si miseratio . . . succurrat.* Locis inspectis, quos Roensch It. et Vulg. p. 403/404 e scriptura sacra profert quique *si* in interrogationibus indirectis exhibent, haec intellegi potuerunt: post tempus primarium, imperativum, coniunctivum hortativum fere omnibus locis codices inter indicativum et coniunctivum variant, post tempus autem historicum, si sententia secundaria quoque tempus praeteritum exhibet, omnes codices consentientes semper coniunctivum praebent. Ergo in periodis, in quibus sententia primaria et secundaria ad praeterita pertinent, cum Löfstedt l. c. coniunctivum a Tertulliano quoque usurpari demonstret eundemque loquendi usum Salonius linguae scriptorum vitarum patrum congruere doceat, coniunctivus quasi regula a posterioribus praescriptus esse mihi videtur, sin autem interrogatio indirecta tempori primario subiuncta est, lex, quae certum modum praecipit, cognosci non potest. Rem Löfstedt eo explanare vult, quod in sententiis, in quibus consecutio temporum praeteritorum legitur, orationem obliquam esse is qui dicit clarius sentit. Mihi quidem modus, qui res veras significat, indicativus, sententiis, quae tempus praesens notant, aptior esse videtur quam iis, in quibus tempora praeterita dicuntur.

v. 448: *ambiguis . . . , quid pro se quisque precetur.* — Interrogatio indirecta adiectivum *ambiguus* sequitur inde a Varrone l. l. 9, 76, nonnunquam apud Ovidium et Tacitum, frequentissime in latinitate posteriore (v. Thes. I 1844, 11 sqq), similitudine verbi *ambigendi,* quod interrogationem indirectam inde a Cicerone Tull. 23 asciscit (Hofm. 696, 4).

---

1. Cf. autem locum simillimum, quo verbum videamus indicativus consequitur Salv. III 55: videamus, si vel a duobus illis quasi capitalibus malis ullus immunis est.

C. XII.: De sententiis relativis.

v. 122 sqq: *consternata autem pro me pietate parentum, / quippe quibus potior visa est curatio nostri / corporis invalidi quam doctae instructio linguae.* — *Quippe qui* priscis temporibus a Plauto semper cum indicativo iungitur uno loco excepto, Persa 699, ubi in extremo versu coniunctivus ponitur, tum a Sallustio, Lucretio IV 434, Livio scriptorem priscum imitantibus, cum Cicero tantummodo coniunctivum dicere soleat. In posteriore latinitate indicativus apud priscorum imitatores et alios rursus praevalet, neque tamen coniunctivus ab usu prorsus removetur, cf. Hofm. 713, 2/3.

v. 185 sq: *parva cui neptis functo genitore superstes / successit, taedisque meis quae postea cessit.* v. 355 sq: *laetior ante tamen, primo quam affarer amicum / alloquio gratumque magis fore quem mihi rebar.* — Quomodo viri docti hodie de sententiis relativis *et* aut *que* falso adiunctis iudicent, breviter his verbis astringam: Tidner, De particulis copulativis apud Script. Hist. Aug., Diss. Upsala 1921 p. 133/134, et Baehrens, Philol. Suppl. XII 1912 p. 402 *et* in his sententiis sensum explicativum habere volunt, cuius sensus Baehrens testimonia iam e primo saeculo p. Chr. n. profert. Cum autem Tidner et in *et* coniunctione et in *que* vim explicativam inesse contendat, Baehrens discrimen facit sententiarum relativarum, quae *et*, quaeque *que* adiunguntur, dicens in eis, quae *que* initio praebent, vocem *quaeque (=quae)* ex imitatione vocis *eaeque* formatam esse, i. e. ut *que* in parataxi pronomini demonstrativo recte adiungatur, ita falso etiam pronomini relativo *que* addi. Idem rem aliter explicare conatur Mnemos. 38, 1910 p. 418 sq.: a tertio saeculo p. Chr. n. pronomina *que* composita et sine *que* formata confundi, quorum sermo vulgaris forma longiora brevioribus plerumque praefert. Iure Tidner repudiat hanc opinionem non verisimilem, quae sententias a *que* et *et* incipientes unam eandemque originem habere neget. Salonii quoque opinionem (vit. patr. p. 20), qui iuncturam *quique (=qui)* e talibus sententiarum relativarum formis, quales *qui . . . quique . . .* acceptam esse interpretatur cuique Linderbauer, Benedicti regula, Metten 1922 p. 257 assentitur, Tidner sibi satisfacere negat, cum speciem tantum sententiarum, quae

que coniunctione subiunguntur, explanare conetur. — Mea quidem opinione hae sententiae relativae coniunctione *que* aut *et* falso adiunctae proficiscuntur ex optimo dicendi usu a posterioribus depravato, qui locis, ubi sententia relativa adiectivo antecedenti aut substantivo in appositi modum usurpato subiuncta est, coniunctiones optimo iure admittit. Cf. exempla apud Kühnerum II 2, 296/297. Recte etiam Paulinus Pellaeus dicit v. 147 sq.: *cultior utque mihi vestis foret et nova saepe / quaeque Arabi muris leni fragraret odore.* Item usum loquendi legitimum, qui duas sententias relativas coniunctione inter se recte coniunctas admittit, loci a scriptoribus probatis alieni respiciunt, quibus duas sententias relativas coniunctione falso conectantur, ut Paulini versus 186, quem supra scripsimus. — Praeterea annotandum est enuntiata relativa a bonis scriptoribus Latinis secundum Kühnerum l. c. plerumque *et* coniunctione, raro *que* adiungi; Baehrens Philol. l. c. 402 miratur, quod *quique qui* vice fungens posterioris demum latinitatis proprium est, cum *et qui* pro *qui* iam primo saeculo p. Chr. n. obveniat. Verisimile est consuetudinem sermonis puri, qui *et* coniunctioni *que* longe anteponeret, effecisse, ut etiam in sententiis relativis falso coniunctione conexis initio *et,* non *que* in usum veniret. Ex quibus ipsis colligi potest, quod supra demonstrare conati sumus, posteriorem loquendi depravationem ab usu sermonis puri ducendam esse. — Quamquam Tidnero et Baehrensio concedimus coniunctionem interdum explicativam potestatem prae se ferre, tamen nullo modo fieri potest, ut omnes loci ita explicentur, id quod Baehrens ipse agnoscit. Plurimis locis, qui re vera ad rem pertinent — multos enim a Baehrensio Philol. l. c. allatos in usu legitimo numerandos esse iam Tidner l. c. docuit — coniunctio sine dubio supervacanea est. — Id quoque observandum est Paulinum Pellaeum *que* redundans non arte cum pronomine relativo coniungere, quod omnibus locis mihi notis semper fieri solet, sed primo cuilibet vocabulo sententiae relativae addere. Quem usum a viris doctis nusquam observatum licentiam poeticam iudicandum esse verisimillimum est. Cf. infra p. 68.

v. 295 sqq.: *comitivam largitionis / dans mihi, quam sciret nullo subsistere censu / iamque suo ipse etiam desisset fidere*

regno. v. 251 sqq.: *cuius (scil. matris) mihi cura tuendae / hoc quoque maior erat, quo iustior, et pietatis / non minor affectus studium firmabat honestum.* — Incipiamus a re faciliore v. 252: licentia adnectendi sententiae relativae particulis copulativis aut interdum disiunctivis enuntiatum, cui pronomen relativum omnino non aptum est, inde a Varrone et Cicerone invenitur, cf. Hofm. 715, 1, Kühner II 2, 325 Ann. Quibus omnibus locis sententia primaria, ut Paulini Pellaei loco (v. 252), adiungitur. Locus alter, v. 296, eandem proprietatem loquendi praebet, sed hoc differt, quod secundaria sententia addita est. Duo enim enuntiata concessiva inter se coniuncta sunt, quorum unum formam sententiae relativae habet. Quae duo enuntiata hoc quoque modo dici posse intellegas: *comitivam dans mihi, cum sciret eam nullo subsistere censu cumque suo ipse etiam desisset fidere regno.* (De *iam* = *cum iam* v. infra p. 59). In libris grammaticis similia non afferuntur, conferendus autem est Ciceronis locus simillimus de off. II 37, ubi secundum meliores codices haec leguntur: *quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua iis ampla et honesta res obiecta e s t, totos ad se convertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?* — Confiteor me verba sic, ut traduntur, intellegere non posse, quamquam Atzert in editione recentissima (Teubner 1923) ea in textum recepit. Neque CFW Müller in commentario locum enucleare mihi videtur, cum dicit: *Bemerkenswerter ist die Koordination des Relativsatzes qui — despiciunt mit dem nicht relativen Satz totos — rapit, die durch passive Konstruktion sehr leicht regelrecht zu machen wäre, was ohne Zweifel mit Rücksicht auf den temporalen Zwischensatz mit cum unterlassen ist, d e m s e i n ü b e r g e o r d n e t e r S a t z t o t o s — r a p i t mit dem gleichen Subject aliqua res ebenso ohne Rücksicht auf qui despiciunt accomodiert ist wie der Hauptsatz der ganzen Periode tum — virtutis.* Si *totos — rapit* sententiam primariam interpretamur, cui subiectum est *cumque — obiecta est,* convenientia verborum *cum-tum* dirumpitur. Sed mihi quidem tum omnino non recte intellegi posse videtur nisi correlatum vocis *cum.* Praeterea vix fieri potest, ut subiecto mutato *(despiciunt — totos ad se convertit et rapit)* subiectum novum *ampla et honesta res*

tantum in sententia secundaria exstet, cum in sententia primaria plane desit; mea enim opinione ita potius dicendum erat: *ampla et honesta res, cum iis obiecta est, totos ad se convertit*... Quae cum ita sint, hic duo enuntiata secundaria inter se coniuncta exstare censeo: *quae qui despiciunt, cumque aliqua*... *honesta res* ... *totos ad se convertit et rapit, tum* ..., in quibus similiter atque apud Paulinum e sententia relativa ad sententiam temporalem transitur. Ciceronis autem locus non ita perspicuus est propterea, quod per anacoluthum sententia primaria totius periodi *tum quis non admiretur* ... sententiam temporalem tantum *cumque* ... *honesta res* ... *totos ad se convertit* ... respicit sententia relativa prorsus neglecta. Eodem modo locum iam antea plures editores interpretati sunt, qui codices duos (Bernensem 104 et Palatinum 1531) secuti *est* verbum inter *obiecta* et *totos* positum delerent. Neque tamen hanc veram lectionem esse mihi persuasi, praesertim cum, quomodo *est* in optimorum codicum scripturam irrepserit, perspici non possit. Itaque inter *est* et *totos* particulam *et* inseri malo, quod post *est* quam facile intercidere possit, nemo est, quin videat. Haec igitur verba sunt: *quae qui* ... *despiciunt, cumque aliqua iis ampla et honesta res obiecta est et totos ad se convertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem* ... *virtutis?* — Transitio similis et ea quidem e sententia condicionali ad sententiam relativam legitur de off. I 16 (qui locus ab Otto Heineo in commentario 1878 cum off. II 37 comparatur): *ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime* ... *potest* ... *explicare rationem, is* ...

v. 308 sq.: *tristia quaeque tamen perpessis antea multis,/ pars ego magna fui quorum.* — Quod ad usum encliticum pronominis relativi ab initio sententiae longe remoti attinet, locum simillimum Vergilii comparare utile est Aen. II 6: *et quorum pars magna fui,* ubi ordo verborum non perturbatur. Alibi autem etiam apud Vergilium pronomen relativum singillatim usque ad quintum locum ab initio sententiae recedit (cf. Norden Komm.[3] p. 324); similia iam in Varronis scriptis leguntur (cf. Heidrich, D. Stil d. Varro, p. 20 Gymn.-Prog. Melk 1892), posterioribus temporibus apud Apuleium et poetas. Cf. *quae-*

cumque in Paulini carmine loco quarto positum v. 321 sq.: *cunctarumque ... famularum, / eventum fuerant nostrum quaecumque secutae.*

v. 598: *vita in hac, qua nunc ego dego, senili ...* — Non necesse est casus attractionem accipere, ut Brandes vult (cf. indicem editionis p. 331), sed praepositio ante pronomen relativum omittitur. De praepositionibus omissis, quae omnibus temporibus familiares sunt, cf. Kühner II 1, 581 c et Löfstedt Komm. 275. Locos similes, quibus casus attractio per ellipsin praepositionis explicari potest, vide apud Samuelsson Eranos V 1903/04, p. 55: iam bell. Afr. 41, 3, nonnunquam apud Gellium. — *in vita degere* tantum posterioribus usitatum est (florentis latinitatis scriptores *vitam degere* dicunt, cf. Antib. I 408), ut ex Paulini fere aequalibus Lucif. Calar. reg. apost. 11 (63, 13 Hartel): *divitissime degere in hac vita;* Filastr. div. heres. 1 (112, 5 Marx): *vitam in qua nos hodie degimus;* Rufin. Basil. hom. 1, 3. Cf. Thes. V 55 sq. Etiam ablativus nudus et modum significans et durative dictus verbum *degendi* consequitur — Plin. nat. h. IV 89: *gens felix ... annoso degit aevo,* tum posteriore aetate veluti Paulin. Ambr. 27 (Goelzer, Jérome p. 325): *ubi cum aliquantis degeret diebus,* Drac. Romul. X 250: *caelibe vita;* cf. etiam Salonius vit. patr. p. 128: ibid. III 3 — neque vero Paulini Pellaei loco propter *in* praepositionem antecedentem ablativus accipiendus est.

C. XIII. De sententiis, quae coniunctionibus subiunguntur.

a) quod

v. 274 sqq.: *mihi ... / iniecere manum mala, sed mihi debita dudum, / quod (quae* codd.) *me et invitum protracto errore tenerent / agminis ipsa mei primum molitio pigra, .. / allicerent et contra animum suetudo quietis, / otia nota .....* v. 350 sq: *hac tamen hos nostros spe sollicitante paratus quod scirem ...* — Coniunctivus in sententiis causalibus a *quod* incipientibus apud posteriores in usu est analogiam *cum causalis* sequens. Optimis temporibus et vulgo argentea aetate

quam vocant coniunctivus in huiusmodi sententiis modus obliquus est, cf. Hofm. 722, 2[1]. —

Quod attinet ad sententias a *quod* vel *quia* incipientes, quae post verba *dicendi* et *sentiendi* pro accusativo cum infinitivo locum habent, Salonius vit. patr. 300 sqq. exposuit in Victoris Vitensis, Fulgentii, Gregorii Turonensis[1] scriptis post *quia* fere semper indicativum, post *quod* coniunctivum exstare. Cuiusmodi sententiae, quae *quod* vel *quia* accusativi cum infinitivo loco habent, a Paulini Pellaei oratione alienae sunt, quod sane notione dignum est, sed et ipsum, quamquam sententias a *quod (quia)* incipientes non multas adhibet, ad eundem usum modorum inclinare perspicum est: post *quia* indicativus legitur v. 171: *visum autem neque illum tum, quia est cito functus,* v. 597 sqq: *oro, / ut, quia vita in hac, qua nunc ego dego senili, / ipsa morte magis plura (haut) agnosco timenda;* post *quod* coniunctivus praefertur: praeter vv. 275 et 351, quos supra scripsimus, coniunctivus exstat v. 319 sq: *uno hoc se nobis credentes parcere captis, / quod nos immunes poena paterentur abire,* indicativus duobus locis praefationis 3: *sciens profecto et benignae ipsius misericordiae circa me fuisse, quod indultis humani generi voluptatibus etiam ipse prima mea aetate non carui, et in hac quoque parte curam mihi providentiae ipsius profuisse, quod me adsiduis adversitatibus moderanter exercens evidenter instruxit* . . . Salonius l. c. docet coniunctivum post *quod* accusativi cum infinitivo loco positum adhiberi, ut res fictae significentur; e Paulini Pellaei quidem usu per-

1. Coniectura Brandesi, qui v. 275 pro q u a e lectione tradita q u o d commendat, in textum recipienda esse videtur. Unum enim exemplum mihi obvenit, ubi q u a e q u o d coniunctionis vice fungitur: Greg. Tur. glor. mart. 83 (545, 16 Arndt-Krusch): A t e g o ... v a n a e g l o r i a e i n f l a r i s u p e r c i l i o c o e p i e t t a c i t u s c o g i t a r e, n o n h a e c t a n t u m s a n c t o r u m m e r i t i s q u a m m i h i p r o p r i a f u i s s e c o n c e s s u m, a t q u e a d s o c i o s i t i n e r i s i a c t a n s, a c p r o f e r r e, q u a e i n n o c e n t i a e m e a e D e u s p r a e s t i t e r i t, u t h a e c m e r e r e r (cf. Bonnet p. 392 A. 5). Cum hoc uno testimonio e scriptore saeculi sexti p. Chr. n. sumpto id, quod apud Paulinum exstat, defendi vix possit, ego quidem Paulini Pellaei loco, ut etiam Brandes iudicare videtur, compendium a librario non recte intellectum esse duco.

1. Cf. etiam Bonnet p. 662, qui idem observavit.

spici non potest, cur post *quod* modo coniunctivus modo indicativus dicatur, tantum v. 320 coniunctivum e *quod* explicativo pendentem a verbo *credentes* (scil. Gothi) affici arbitreris, i. e. coniunctivum obliquum esse ex hostis persona dictum. Neque vero eodem modo loci reliqui, quibus *quod* coniunctivus sequitur, explicari possunt. Ergo Paulinum ad arbitrium inter coniunctivum et indicativum variare iudicandum est. Cf. etiam Hofm. 721, 2, Bonnet p. 662/663.

b) quamquam

v. 586 sq: *quamquam spatiis prolixior amplis / evagata diu claudi se iam prope poscat* (scil. *pagina*). — *Quamquam,* quod sine causa coniunctivum pro indicativo sibi asciscit, post Augusti tempora poetis usitatum est, primo Ovidio, in oratione soluta inde a Nepote Att. 13, 6, singillatim Livio. Posteriores scriptores, imprimis ecclesiastici, coniunctivo et indicativo promiscue utuntur. Hofm. 737, 2.

c) licet

v. 503: *quod licet invito me illos voluisse dolerem.* — *Licet* cum coniunctivo imperfecti aut plusquamperfecti coniungitur primum ab auctore bell. Hisp. 16, 3 exemplum *cum* vel *quamvis* adversativi sequens, tum ab Iuvenale 13, 56, saepe a posterioribus, v. Hofm. 739, 4. Particula concessiva *licet* cum in posteriore latinitate magis magisque fundatur (frequentatur iam a Martiale et maxime ab Iuvenale), ut apud iurisprudentiae scriptores inde ab Iuliano (cf. Kalb, Roms Iuristen p. 5), alioquin in scriptis vulgaribus, tum a Paulino Pellaeo maxime adamata est: *licet* septies dicitur, bis *quamquam,* semel *quamvis.* Interdum Paulinus *licet* adiectivis quoque addit: v. 240: *per se magna (scil. damna) licet,* v. 334 sq: *factio servilis paucorum mixta furori / insano iuvenum — — licet ingenuorum,* v. 368: *ipse licet trepidus.* Qui usus, cum scriptores florentis latinitatis non admittant, inde a Propertio et Ovidio obvius est; paucis locis in argentea latinitate, saepius apud posteriores invenitur, cf. Antib. II 25, Kühner II 2, 446.

d) cum

v. 494 sq: *quae (scil. coniunx) mihi, cum fuerit rectis contraria votis / officiente metu, fuit et defuncta dolori.* — *Cum — et* sensu *cum — tum* ponuntur: similiter *tam — quam* correlata cum coniunctionibus copulativis ita confunduntur, ut in posteriore latinitate tales formae quales *tam — sed et, tam — vel, quam — et* legantur, cf. Hofm. 729. Sed apud *cum — tum* huiusmodi confusiones perraro invenimus, ut omnes loci, qui ad rem pertinent, adhuc semper ab editoribus emendati aut cruce exornati sint. Agitur de

I.) *cum — ac:* Cic. fam XV 11 *itaque nihil est tantum, quod ego non tua causa debeam facturusque sim cum studiose ac libenter.* Sic verba consensu omnium codicum leguntur exceptis nonnullis codicibus novellis, qui *cum — tum* exhibent. Locus, quem viri docti emendare frustra conantur *(cum studio ac* Nipperdey opusc. 466, *quam studiose ac* Hand Turs. I 466, Orelli *cum* delere vult), a recentioribus editoribus, ut Mendelssohn et Purser, cruce notatur.

II.) *cum — simul:* Liv. III 50, 10: *togati cum eadem illa querendo docendoque quanto visa quam audita indigniora potuerint videri, simul profligatam iam rem nuntiando Romae esse... perpulerunt, ut...* Sic omnes codices; *cum* tres codices recentiores omittunt. Schenkl commendat, ut *tum* ante *simul* inseratur, Zingerle *simul* pro *cum* scribit, Conway-Walters *cum* omittit.

III.) *quoque — cum:* CIL XI 4631 (carm lat. epigr. ed. Bücheler Nr. 1846, aevi fere Ausoniani) v. 4:

omnes honos, omnis cesit tibi gratia formae,
mens quoque cum vultus digna nitore fuit.

Hic Stowasser Wien. Stud. 30 p. 276/277 *quoque* correlatum verbi *cum* esse coniecit, cum Hofm. 751, 4 *cum* praepositionem intellegat et eodem modo *cum* altero loco a Stowassero allato interpretandum esse contendat: CIL VIII 7759 (C. E. 1327) v. 2: *ut paucis discas cum genus exitium,* ubi etiam Bücheler praepositionem accipit. Stowasser hic *tum* omissum intervallo dicendi compensari vult. Quamquam hoc quidem

loco Bücheleri interpretationem praefero (cf. etiam E. Diehl, de M finali epigraphica, Jhrb. f. klass. Phil. 1899, Suppl. 25 p. 22, qui eodem modo rem explicat magnamque copiam exemplorum similium praebet), tamen de carmine Nr. 1846 aliter iudicandum esse mihi videtur: *quoque* posito *quoque — cum* correlata non esse vix arbitreris. Ex omnibus exemplis praepositionis *cum* accusativo adiunctae, quae E. Diehl l. c. p. 17 sqq. et Thes. IV 1342, 62 sqq. proferunt, nullum simile est. Ergo mea quidem sententia Stowassero, non Hofmanno assentiendum est *quoque — cum* correlata eo loco re vera exstare. — Huiusmodi locutiones e particulis mutuo se respicientibus et coniunctionibus copulativis commixtas, quae, ut testimonium e Ciceronis epistulis ad fam. sumptum docet, usque ad florentem latinitatem, ut mihi quidem videtur, reduci possunt, sermoni cottidiano attribuendas esse verisimile est. Accedit, quod iam in florenti latinitate vis comparandi augendique defecit et ad sensum respondendi coniungendique transiit adeo, ut *cum — tum* idem atque *et — et* fieret (cf. exempla a Kühnero collecta II 2, 546). Quae cum ita essent, facile fieri potuit, ut verba inter se confunderentur. Idem *tam — quam* correlatis accidisse Hofm. exponit p. 729, 1.

v. 295 sqq: *comitivam largitionis / dans mihi, quam sciret nullo subsistere censu, / iamque suo ipse etiam desisset fidere regno. — Iam = cum iam.* Habemus hic adverbium temporale, quod in posteriore latinitate coniunctionis vice fungitur. De aliis adverbiis temporalibus similiter usurpatis cf. Löfstedt, Beitr. 1907 p. 24 sqq. *Iam* munus coniunctionis obit apud Chironem 608 (Hofm. 759, 3): *iam clodiginem desinuisse intellexeris, caustico confirmabis,* id. 709: *iam bene ustum videris, sic curabis, sicut superius cruribus demonstravimus,* cf. Ahlquist mul. Chir. p. 129. Praeterea apud Apicium VIII 3, 3. His omnibus locis *iam* coniunctio temporalis est; in Paulini autem versu, ut e contextu verborum facile intellegitur — antecedit enim sententia relativa, quae concessionem continet — sensus temporalis ad potestatem concessivam transit.

e) donec

v. 176 sqq: *talis vita mihi . . . mansit, / donec me invitum, fateor, pia cura parentum / cogeret invectum blanda sue-*

tudine ritum / deserere atque novum compelleret esse maritum ... — Coniunctivus sine vi finali positus coniunctioni *donec* = 'solange bis' subiungitur a Tacito, saepius a posterioribus. Cf. Hofm. 754, 4.

f) ut

De *ut* sensu causali et explicativo dicto:

v. 345 sqq: *mihi ... / subrepsit, fateor, nimium trepido novus error, / + consilii + ut me praesidio regis dudum mihi cari, ... / urbe ab obsessa sperarem abscedere posse.* v. 291 sqq: *sed mihi ad sortem praefatae condicionis / addita maioris nova est quoque causa laboris, / ut me ... / Attalus absentem casso oneraret honoris / nomine.* v. 324 sqq: *me graviore tamen relevato suspicione / munere divino, iuges cui debeo grates, / filia ut ante mea per me sociata marito / excedens patria communi clade careret.* — *Ut* explicativum e pronominibus pendens inde a scriptoribus priscis in usu est, in posteriore latinitate saepe verbum substantivum cum appellatione coniunctum sequitur (cf. Hofm. 763, 4), ut Salv. eccl. II 56: *quae insipientia aut qui error est, ut non ei tantum des quantum potes?* Cf. Paulini Pellaei v. 346. Sed iam apud scriptores probatos locutiones verbo erroris compositae *ut* asciscunt, veluti Cic. off. I 148, cf. Antib. s. v. *Ut* explicativi *ut* causale simillimum est neque facile ab eo discerni potest, cf. v. 293 et praecipue v. 326. *Ut* causale, quod coniunctivum exigit, in posteriore latinitate exstare primus Löfstedt Beitr. 1907 p. 10 sqq. docuit, tum Salonius l. c. 351 sq. exempla attulit. Cf. Hofm. 764, 4.

v. 359 sq: *nec tutum iam sibi prodens, / ut visum remeare aliter pateretur ad urbem* ... — *Ut* consecutivum infinitivi vice fungens post phrases impersonales a posterioribus adamatum est (cf. Hofm. 763). *Tutum est, ut,* quantum ego video, iunctura singularis est; Paulini loco fortasse *ut* dicitur, ut infinitivorum coacervatio evitetur.

v. 455 sq: *conatus inhibendo meos nimis alta petentes, / auderem ut monachi perfecto vivere ritu.* — *Conatus, ut* analogiam *conandi, ut* sequitur. *Ut* finale post verbum *conandi* pro infinitivo substitutum posterioris tantum sermonis proprium est, cf. Thes. IV 349, 54 sqq: Lucif. Calar. et Augustin. —

Caes. b. g. I 5, 1: *id quod facere constituerant, conantur, ut e finibus exeant* et bell. Afr. 69, 5: *nihil aliud eos conari, nisi ut se cogerent, ut* sensum explicativum habet, cf. Antib. s. v. — *Conor* posteriore aetate cum *ut* construitur similitudine verborum, quae voluntatem significant, ut iam apud priscos *volo* et *curo ut* finale asciscunt. Cf. Hofm. 764, 1.

g) si

De sententiis condicionalibus.

praef. 4: *proinde si quando hoc opusculum meum in cuiusquam manus venerit, ex ipso libelli titulo praenotato evidenter debet advertere* . . . praef. 5: *attamen si cui forsitan magis curioso tantum otii ab re sua fuerit, ut laboriosum vitae meae ordinem velit agnoscere, exoratum eum cupio, ut* . . . — Forma sententiae condicionalis *si fuerit — est* cum in prisca latinitate iam a Plauto et Terentio paucis tantum locis usurpatur, tum in sermone puro ad alias formas sententiarum condicionalium raro exstat, cf. Blase ALL X 317 sq., praecipue tabulam p. 318. Scriptores autem vulgaris sermonis, Vitruvius et Scribonius Largus, eam ceteris praeter *si fuerit — erit* anteponunt; in posteriore denique latinitate formae *si fuerit — est, si fuerit — erit* ita praevalent[1], ut ceterae indicativi praesentis et futuri formae excepta *si est — est* et postremis temporibus fortasse formae, quae coniunctivum praesentis in sententia condicionali continent, ab usu removeantur. Cf. Blase l. c. p. 333, Hofm. 773, 3. In posteriore latinitate, fortasse iam apud scriptores priscos, hae formae, quae modo futurum exactum modo coniunctivus perfecti aut futuri exacti nominantur, condicionalis praesentis aut futuri vice funguntur; quam vim in lingua Hispaniensi, Lusitana, Valachica usque ad hoc tempus conservaverunt, cf. Blase p. 314 et 317, Foth: Die Verschiebung lat. Tempora in den roman. Sprachen (Brehmers Roman. Studien Heft 8 p. 280 sqq.). Paulinus Pell. quoque in periodo condicionali praesentis solas

1. ex Gallis aequaelibus Paulini Pellaei Cassianus in Institutis si fuerit — est quinquies et vicies habet, saepissime Salvianus. Cf. Blase 1. c.

formas a posterioribus (praeter *si sit — est)* adamatas adhibet: I. *si fuerit — est* (v. supra praef. 4 et 5), II. *si est — est* (v. 431: *bene si sapio, gratulanda haec nunc mihi sors est).*

v. 216 sqq: *sectator deliciarum, / si qua tamen minimo pretio expensaque parari / et salvo famae possent constare decore.* — *Si tamen* restrictive dictum = *si modo, scilicet si* „vorausgesetzt, daß", „jedoch nur, wenn" (de vi locutionis *si tamen* v. infra p. 76) coniunctivum optativum requirit analogiam sequens, ut videtur, coniunctivi optativi[1], postea etiam potentialis et irrealis post *si modo* positi (Hofm. 782, 2); cf. Colum. III 11, 1: *sequitur pastionis officium, si tamen ante de qualitate soli constiterit* (Kühner II 2, 429), Marcian (ad form. hyp.) Dig. 20, 6, 8, 6: *si voluntate creditoris fundus alienatus est, inverecunde applicari sibi eum creditor desiderat, si tamen effectus sit secutus venditionis* (Kalb, Roms Juristen p. 33); plus semel etiam apud Paulinum Nolanum invenitur, veluti epist. XXXX 3 (p. 342, 16 Hartel): *frater fratrem adiuvans exaltabitur, si tamen semper orare tantum . . . pro nobis memineritis et . . . caveatis onerare nos verbis beatificantibus . . .*, cf. locos reliquos in Harteli indice s. v. *si tamen* exstantes.

h) quominus

v. 482 sqq: *quominus autem / rem propriam expeterem, . . . / obstabat flecti ad communia commoda coniunx / indocilis . . .* — *Obstare, quominus* structura legitima ob eam causam notione digna est, quod usum *quominus* coniunctionis posteriore tempore magis magisque omitti constat (cf. Hofm. 788, 4[2]). — Ut *quominus* raro adhibitum, ita *quin* a Paulino Pellaeo omnino neglectum usui sermonis recentioris convenit (cf. Hofm. 78, 4[3]).

---

1. inde a Plauto Pseud. 997: id ago, si taceas modo.
2. a poetis melioribus omnibus temporibus alienum est.
3. v. 100 sq: sed quoniam nunc iam magis hoc me credere fas est / conduxisse mihi, quod te voluisse probasti...-Barthium recte fecisse, quod notam quō codice Bernensi traditam quoniam intellexit et quomodo, quod P praebet, non accepit, nemo est, quin videat. Quomodo e saeculo quarto potestatem causalem adeptum esse inter omnes sane constat (cf. exempla, quae attulit

De parataxi hypotaxis loco posito.

v. 4: *te, deus omnipotens, placidus mihi, deprecor, adsis* ... — Parataxim e verbis *orandi* pendentem omnibus temporibus legimus, praecipue post haec ipsa verba aevo recentiore (cf. Hofm. 689, 3). Sed *deprecor* hinc verborum ordinem in posteriore demum latinitate asciscit inde ab Iustino XII 8, 10, Hygin. fab. 125 p. 108, Apul. m. IX 40, al. (Thes. V. 601, 25; 602, 2 sqq.), analogia verbi *precandi,* quod coniunctivus sequitur inde ab Ovidio fast. IV 247, ex pont. II 2, 68. Etiam structura *deprecor, ut* scriptoribus probatis deest, qui solum *deprecor, ne* admittunt (cf. Hofm. 764, 2, Thes. V 601, 7 sqq).

C. XIV. De particulis.

A. De negationibus.

v. 420: *sed nec sero mea est proventus vota secutus.* — *Nec* = „auch nicht" vel fere = *ne — quidem* sensu augendi, non coniungendi positum raro in sermone puro, frequenter inde ab Augusti temporis scriptoribus invenitur, posterioribus fere omnibus usitatum est, cf. Hofm. 641, 2, Hand Turs. IV 105 sqq.

v. 169: *sed neque hoc etiam mea inter gesta silebo.* — *Neque — etiam* = „auch nicht einmal, selbst nicht, *ne — quidem*" vim augendi, non coniungendi habet. Cui locutioni etiam maior augendi potestas inesse videtur quam negationi *nec* v. 420, de qua modo disseruimus. A scriptoribus probatis *neque etiam*

Pirson, Quomodo en latin vulgaire p. 71, Festschr. f. Vollmöller 1908), neque tamen Paulini Pellaei loco q u o m o d o, cum metro minime quadrat, lectio vera esse potest, sed compendio male intellecto attribuendum esse videtur. Etiam apud Tertullianum q u o n i a m cum q u o m o d o commutatur adv. Prax. XV (Kroymann CSEL 47 p. 254, 17), ubi contra codices optimos princeps editor Beatus Rhenanus et codex deterior Vindobonensis q u o m o d o exhibent (cf. Öhler in ap. crit.). Eodem modo res se habet in Barnab. epist. 17, quo loco editores priores (cf. Hilgenfeldi ap. crit.) q u o m o d o legebant, cum codex unicus C q u ō habeat = q u o n i a m eodem compendio pluribus aliis locis notatum (q u o m o d o semper perscribitur, cf. exemplum codicis, quod IM Heer confecit, Versio Latina d. Barnabasbriefes, Freiburg 1908). Qui duo loci falso a Koffmano (Barnab. epist. 17 etiam a Roenschio p. 403) p. 132 verbis q u o m o d o i n k a u s a l e m S i n n annotantur.

nondum redundanter dicitur, sed notionem copulativam habere solet = „und auch nicht, *ac ne — quidem*“ (cf. Hofm. 641, 4, Kühner II 2, 56). Falso Antib. I p. 526 Caes. b. g. V 52, 1 et b. c. I 5, 1 *neque etiam = ne — quidem* valere contendit; quibis locis et ipsis *neque etiam* sensu copulativo ponitur = *et ne* — quidem, cf. Meusel Komm. 1920 in b. g. V 52, 1. — Praeterea *etiam non* vim verborum *ne — quidem* adipiscitur praef. 3: *voluptatibus etiam ipse prima mea aetate non carui*, quod a prioribus quoque scriptoribus hoc sensu adhiberi constat, cf. Hofm. ibid., Antib. I 526: iam a Cicerone nat. deor. I 113. — *Non etiam* v. 299 sq., ubi sententia affirmativa opponitur sententiae negatae, aliter interpretandum esse manifestum est: *quos ad praesidium vitae habere, / non etiam imperii poterat* = „nicht auch“.

v. 487 sq: *quam nec invitam trahere usquam fas mihi rebar / parque nefas esset subtractis linquere natis*. — *Nec — que* raro legitur inde a Cicerone Lael. 104 al., v. Hofm. 664, 1, Kühner II 2, 48, Hand Turs. 137 sq. Paulini loco antithesis *fas — nefas* effecit, ut iunctura rara *neque — que* pro simplici *nec — nec* (= *quam nec trahere nec linquere fas mihi rebar)* diceretur.

v. 38 sq: *quae tamen haut etiam sensu agnoscenda tuentis / subiacuere mihi*. — *Haut etiam = nondum*. *Haut etiam*, quantum ego cognoscere possum, Plautus (veluti Mil. 1400, Pers. 231, cf. Lodge lex. Plaut.) et Terentius Heaut. 175 soli utuntur, cf. Kühner II 2, 52, CFW Müller Philol. IX 614. Cum *haut* appellatione litterae h in unum confusum cum *aut* in sermone cottidiano fortasse iam rei publicae temporibus in usu esse desinat (cf. Hofm. 642, 3), Paulinus imitatione priscorum iunctura utitur, quod sane notione dignum est. Cf. autem supra p. 19, ubi de *iuxta cum* disseruimus.

v. 598 sqq.: *quia vita in hac, qua nunc ego dego, senili / ipsa morte magis plura (haut) agnosco timenda, / nec mihi, quid potius cupiam, discernere promptum est*. — B et P in v. 599 negationem omittunt; Brandes *haut* ante *agnosco* inserit dicens sensum negationem postulare perspicuum esse (cf. editionis praef. p. 278). Ego quoque ipse non dubito, quin sententia v. 599 negetur, praesertim cum verba *ipsa morte magis plura*

agnosco timenda negatione non audita repugnent implorationi dei in fine carminis positae, qua ante omnia Paulinus petat, ut Christus in hora mortis sibi adsit, v. 611 sqq: *sed, quaecumque manet nostrum sors ultima finem, / mitiget hanc spes, Christe, tui conspectus et omnem / discutiat dubium fiducia certa pavorem . . .*
Atqui negationem inserere, non oportet, ut puto, sed locum recte accipiemus, si *nec* alteri parti sententiae causalis appositum ἀπὸ κοινοῦ ad priorem quoque partem, v. 599, pertinere iudicabimus. Hoc *neque,* quod etiam verbis antecedentibus retribuendum est, nuper demum viri docti investigaverunt: Löfstedt, Spätl. Stud. 1908 p. 1. sqq. et Syntactica I 1928 p. 269 sqq., Schmalz, Berl. phil. Wochenschr. XXIX 1909, 541 sqq., Baehrens Mnemos. XXXVIII 1910, 399 sqq. et Philol. Suppl. XII 1912, 259 sqq. Utrum loci apud scriptores florentis latinitatis exstantes re vera usum testentur an lectionem vitiosam praebeant, adhuc dubitatur. Cum enim Hofm. 663, 3 rem argenteae demum et posteriori latinitati familiarem esse ducat — etiam locum Vellei Pat. II 45, 1 in dubium vocat — loci Liv. V 12, 5 et ipsius Ciceronis secundum Baehrensium et Kühnerum (II 2, 565) non habent offensionen. Quas duas opiniones Löfstedt Synt. l. c. inter se eo conciliat, quod *neque* retroversum Ciceronis quidem temporibus (Cael. Cic. epist. VIII 13, 2), neque tamen Ciceroni ipsi (fin. IV 3, 6, ad Quint. fr. III 1, 18) ascribit. Utcumque res se habet, omnes hi loci faciles sunt intellectu, cum membra brevia contineant verborumque contextus perspicuus sit; usus autem licentior apud argenteae et posterioris denique latinitatis scriptores viget. Cf. e testimoniis, quae Baehrens Philol. l. c. profert, Tertull. adv. Marcion. I 9 p. 302, 15 Kr.: *posteriora enim (non) sunt in retractu immo nec admittentur, si de principali statu constet.* Idem Mnemos. l. c. Ael. Don. Ter. II 351, 13 W: *quia in comoedia prodigia facta (non) sunt nec tragoedias concitavimus,* ibid. Faust. Reiens. p. 243, 20 (CSEL XXI Engelbr.): *Rogo vos, fratres carissimi, ut (non) moleste accipiatis nec nos superfluos indicetis.* Cf. etiam CIL III Suppl. 8739 (saec. I. secundum Hirschfeldum) = Bücheler CE 1148:

intra ter quinos infelix occidit annos,
sic illi coniunx, sic toga pura data est,
nullaque propago manibus succepta parentis,
nullos honos fasces in mea tecta tulit,

et quae Bücheler annotat: *'nulla' etiam prioribus membris retributum est.* — Mihi quidem Paulini Pellaei locus cum iis, qui modo commemorati sunt, valde congruere videtur. Graecam quoque linguam voces οὔτε et οὐδὲ non raro ad verba antecedentia se referentes admisisse constat (cf. Kühner — Gerth II 2, 291); neque vero de graecismo agitur, sed linguarum fortasse omnium Germanicarum rem propriam esse ex eo intellegi potest, quod idem loquendi usus in nostro patrio et in Britannico sermone occurrit, cf. Löfstedt Synt. l. c. 269/70. Praeterea hanc dicendi consuetudinem graecismum esse etiam ea de causa negabimus, quod praecipue scriptis Latinis vulgaribus familiarissima est. — Salonius Orosiana p. 97 etiam contrariae constructionis, *nec — et* pro *nec — nec* dictae, exemplum praeclarum ponit: Oros. lib. apolog. XV 1 (CSEL V Zangemeister): *et existunt homines, qui nec propter ignorantiam . . . iudicio superventuro subiectos esse se iudicent et adventum Domini . . . trepident.* — Metri causa nemo sane est, qui opinetur apud Paulinum Pellaeum verbum inter *plura* et *agnosco* intercidisse. Hiatum enim in arsi Paulinus saepius admittit (cf. Brandesi indicem metricum), nec syllaba brevis in hiatu producta ei aliena est: v. 190 *malesuadā otia curis.*

v. 323: *inlaeso penitus nullo adtemptante pudore. v.* 570 sq: *cum iam penitus fructus de rebus avitis / sperare ulterius nullos me posse probasses. — Penitus* coniunctum cum negatione idem valet atque *omnino non, non prorsus.* Adverbium, quod Cicero ipse verbis, quae sensum negativum habent, apponit (cf. Hand, Turs. IV 427, 6: *penitus amittere*), ad vim negationis augendam tantum a posterioribus adhibetur, v. Antib. s. v. Exempla ex Hieronymo et Vulgata sumpta Goelzer (latinité de St. Jérome p. 427, Paris 1884) et Thielmann Philol. 42, 348 collegerunt; e Greg. Tur. Bonnet p. 307; e vit. patr. Salonius p. 28. Apud scriptores iurisprudentiae testimonia certa non ante Iustinianum leguntur, v. Kalb, Roms Juristen p. 27. E Paulini Pellaei

aequalibus Salvianus plura exempla praebet, ut de gub. dei I 4, 19; 5, 21. Cf. etiam Löfstedt Komm. 170.

B. De coniunctionibus.

Que redundanter ponitur: v. 319 sqq.: *uno hoc se nobis credentes parcere captis, / quod nos immunes poena paterentur abire, / cunctarumque tamen comitum simul et famularum, / eventum fuerant nostrum quaecumque secutae, / inlaeso penitus nullo adtemptane pudore.* — v. 468: *confessusque igitur, paenitenda quae mihi noram.* — v. 242 sqq.: *per quem (scil. patrem) cara mihi patria et domus ipsa fiebat: / tamque etenim fido tradentes mutua nobis / officia affectu conserto viximus aevo...* — Notum est *que* posteriore aetate praecipue apud poetas et in sermone vulgari variis modis redundanter poni, velut vocibus, a quibus sententiae ordiri solent, adiungitur: *utinamque* idem est quod *utinam* (e. g. Hieron. hom. Orig. in Is. 2, 2, ibid 4, 3, cf. Hofm. 657, 1), *ideoque* i. q. *ideo* (inde a Tertulliano, et primum quidem in apodosi sententiae causalis negativae), *quique* i. q. *qui* vel *is* initio sententiae positum (apud Rufinum, cf. Salonium vit. patr. p. 20 sq.). Quam loquendi depravationem cum in sententiis relativis *que* appendicula falso adiunctis, cf. supra p. 51 sq., tum etiam his locis ab usu legitimo profectam esse iudicandum est, ubi iure particulis initio sententiae exstantibus *que* additur. De *ideoque,* quod nonnullis posterioris latinitatis locis et redundanter et non redundanter dictum accipi potest, cf. Löfstedt, Spätl. Stud. 1908 p. 76/77. Iam dudum autem linguam id egisse, ut initio sententiae *que* encliticum potestate privaretur, facile usu quarundam particularum, quae voce *que* componuntur, probari potest. Sic *que* syllaba vocabuli *namque,* quod apud Plautum vim simul adiungendi confirmandique habet, notionem propriam amittit (cf. Engelbrecht, W. St. XX 296). Etiam *que,* quo *itaque* coniunctio sensu consecutivo (= daher) usurpata finitur, obscuratum esse apparet, cum in Plauti comoediis vim genuinam retineat = und so (cf. Kühner II 2, 130, Hofm. 683, 4). Neque tamen in sermone puro *que* syllaba vocis *itaque* plane neglegitur; nusquam enim *et itaque* legimus (cf. Hofm. l. c., Antib. I 790). Praeterea *denique* respiciendum est,

quod per se i. q. „und am Ende“ est. Iunctura *et denique* inde a Manilio V 328, in oratione soluta a Quintiliano inst. III 2 admittitur (Hofm. 684, 3). — Etiam aliis e rebus *que* appendiculam paulatim vim propriam amisisse perspici potest, veluti *que* syllaba, qua pronomina quaedam terminanter, falso coniunctio intellegitur, ut *quis* pro *quisque, plerique* pro *et plerique,* sim. dicantur (cf. Engelbrecht l. c., quem Löfstedt l. c. sequitur). — Quae cum ita sint, postremo *que* inane aetate recentiore quibuslibet particulis initio sententiae positis addi posse nemo est, qui miretur. Cui usui Paulini Pellaei versus, ubi — *que tamen,* — *que igitur,* — *que etenim* leguntur, praeclaro testimonio sunt. Itaque ea, quae Hofm. l. c. exposuit, paululum corrigenda sunt: neque enim *que* inane tantum particulis ipsis, ut ille vult, adhaeret, sed a poetis quidem cuicumque verbo, a quo sententia incipit, ut supra diximus, addi potest. Löfstedt quoque l. c. *que* tantum arte cum particulis coniunctum novit. — Paulinum *que* supervacaneo metri gratia favere apertum est; *que* redundans a poetis inferioribus et in inscriptionibus variis modis ad versus supplendos adhiberi Hofm. 657, 1 testimoniis probavit.

v. 451 sq.: *namque et me moresque meos quanto prior ipso / me melius nosses, in me prodendo probasti.* — Cf. v. 594 sq.: *quocirca et totum tibi me, deus optime, debens / cunctaque, quae mea sunt. . .* — *et* — *que* correlata voces duas iungentia rarissime inveniuntur. Loci Ciceronis ac. I 37 et 43, epist. X 6, 3, Livii IV 2, 3, quamquam omnes codices consentiunt, fere ab omnibus editoribus emendantur (cf. Kühner II 2, 36/37); Hofm. quoque eos falsos traditos esse iudicat, quod an nonnullis locis recte non faciat, nescio[1]. Contra Brut. Cic. epist. XI 13 a 5 et Vitr. VI 1, 11 intactos esse agnoscuntur. Etiam posteriores hanc iuncturam vix adhibere videntur; nusquam enim mihi obvia fuit excepto Commodiani loco c. apol. 324: *cuius de peccato morimur sic et omnis itemque,* quo *que*

1. Agitur de his locis: Cic. ac. I 37: officia autem et servata praetermissaque. Ibid. 45: et breviter sane minimeque obscure exposita est. Id. ep. X 6, 3: et senatui bonisque omnibus. Liv. LV 2, 3: id et singulis universisque semper honori fuisse.

i. q. „und zwar“ esse Dombart in editionis apparatu critico commemorat.

v. 614 sqq.: *fiducia ... / me, vel in hoc proprio mortali corpore dum sum, / esse tuum, cuius sunt omnia, vel resolutum / corporis in quacumque tui me parte futurum.* — De *vel* disiunctivo, quod aetate posteriore Plauto Terentioque ducibus copulativam potestatem adeptum est (cf. Löfstedt Komm. 198 sq.), ut *vel* idem atque *et*, *vel — vel* idem quod *et — et* valeat, cf. Hofm. 676, 1 et exempla collecta a Roenschio p. 345 et Koffmaneo p. 131. Sensum disiunctivum *vel* et *vel — vel* apud Paulinum Pellaeum retinuerunt vv. 529, 58, 421. Quos duos *vel* coniunctionis sensus, disiunctivum et copulativum, Gregorium Turonensem quoque usurpare Bonnet docet p. 315 ann. 4.

v. 274: *ac mihi ... / iniecere manum mala, sed mihi debita dudum.* — *Sed* ad vim attributionis augendam in sermone cottidiano adhiberi solet inde a Plauto, licentius argentea quae vocatur aetate a Phaedro, Columella, Martiale, Plinio minore, identidem a posterioribus, cf. Hofm. 665, 4, Löfst. Komm. 179 sq., Weyman ALL XL 247.

v. 366 sqq: *sed miserante deo, adflictis qui semper ubique / imploratus adest, paulo post mente resumpta / ipse licet trepidus, sed adhuc nutantis amici / consilium audacter studui pro me ipse fovere.* — *Sed* pro *et* ante *adhuc* tradito, quod verborum contextui minime quadrat, a Brandesio m. s. iure in textum receptum est (Zeitschr. f. d. öster. Gymn. XXXI 1880 p. 248 sqq.). Anacoluthum, quod *sed* bis posito efficitur, longiore dicendi intervallo explicari potest. *Sed* in apodosi sententiae concessivae apud posteriores inde ab Itala et Tertulliano creberrime legitur, cf. Hofm. 666, 1, ex parte imitatione usus Graeci admissum (= εἰ καὶ . . ., ἀλλὰ . . ., sim.), ut libri e Graeco translati docent. Verba ipsa *licet ..., sed* inde a Tertulliano saepius occurrunt (testimonia Hofm. l. c. affert). Notandum est Paulini loco non sententiam concessivam, sed tantummodo adiectivum cum particula concessiva coniunctum antecedere. Eandem structuram habemus in Ammiani Marcellini opere 27, 10, 13: *licet feroces sed incauti barbari.* V. etiam Löfst. Komm. p. 203, qui in sermone puro *at* sententiam a *si* incipientem sequi annotat.

C. XV. De adverbiis.

adhuc = etiamtum.

v. 366 sqq. v. supra p. 69 in extr. *Adhuc* praeterita significans poetis Augusti temporis ducibus in oratione soluta vulgo inde a Livio, in primis a scriptoribus rerum gestarum admittitur, ut praeterita quasi praesentia narrentur. Cf. etiam Antib. s. v.[1].

demum i. q. denique, postremo:

v. 516 sqq.: *subtracta spe omni solaciorum, . . . / cunctaque sero probans a te magis esse petenda, / quae cupimus, deus alme, subest cui summa potestas, / Massiliae demum pauper consistere legi.* — *demum* sensu *denique* positum exceptis paucis locis Lucretii, Ovidii, Livii argenteae et posteriori latinitati familiare est, cf. Antib. s. v., Thesaurus V 518, 43 sqq.

e contra.

v. 265 sqq.: *facile experiendo probavi . . ., / quantum et e contra vi impugnante maligna / ipsa patronorum mihi ambitiosa meorum / obfuerint studia et nostri evidenter honores.* — *e contra* = *contra, e contrario* posteriore aetate tantum exstat, cf. Antib. s. v. *contra* et Roensch p. 233. Neque aliae locutiones, ubi *contra* praepositioni adiungitur, sermoni posteriori desunt: *a contra, de contra, in contra* (cf. Thes. IV 743, 25 sqq.), quippe quod posteriores praepositiones inter se aut cum adverbiis coniunctas adamant, cf. Roensch l. c., Koffmane 140 sq., Kaulen 282.

si (seu) forsitan

praef. 5: *si cui forsitan magis curioso tantum otii ab re sua fuerit, ut laboriosum vitae meae ordinem velit agnoscere, exoratum eum cupio, ut sive aliquid seu forsitan nihil in gestis vel in versibus meis, quod possit probare, repperit . . .* — *Forsitan* post *si (nisi)* aut *sive (seu)* positum praeter locum corruptum Cael. Cic. epist. VIII 3, 1 et Ovid. trist. II 575 posteriore tantum aevo occurit, velut in Hieronymi

1. Itidem Paulinus Pell. etiamnunc pro etiamtum utitur v. 413: pars ubi magna mihi etiamnunc salva manebat / materni census. Quod iam scriptores probati dicere solent, si praeterita, quasi in praesentia gerantur, sub oculos subicere volunt. Cf. Antib. s. v.

scriptis (v. exempla a Goelzero p. 433 allata). Ad *seu forsitan* cf. Vict. Vit. III 13 (p. 78 Petschenig): *seu domus nostrae occupati militia, seu forsitan diversis titulis . . . praepositi.* Cf. Thes. VI 1140, 4, 22, 26 sqq., Antib. s. v.

iugiter

v. 154 sq: *vota parentum / iugitur in nostram tendentia posteritatem* (cf. vv. 206, 568, 592). — *Iugiter* posterioris tantum latinitatis proprium est, cum adiectivum *iugis* omnibus temporibus in usu sit (etiam apud Paul. Pell. vv. 7 et 136). Denique *iugiter* plane idem ac *semper* valet, ut apud Cyprianum, Salvianum, al. (cf. Antib. s. v.). Quam sensum adverbium etiam Paulini loco habere perspicuum est.

magis = potius

praef. 4: *magisque id meorum esse votorum, ut . . .* (antecedunt haec: *me hanc meditatiunculam otio meo potius quam alieno negotio praestitisse).* v. 518 sq.: *cunctaque sero probans a te magis esse petenda, / quae cupimus.* — *Magis* = *potius* sensu adversativo primum in sermone vulgari dicitur, tum in posteriore latinitate percrebrescit; neque a sermone puro quidem alienum est, veluti Cic. ad Att. X 8, 2: *istum enim victorem magis relinquendum puto quam victum,* v. Antib. s. v. Post sententias negativas *sed* coniunctionis vice fungitur inde a Catullo et Sallustio. Iunctura autem *magisque* (cf. Paul. Pell. praef. 4) raro potestatem adversativam adepta est, primum apud Columellam V 8, 5, cf. Hofm. 672, 4.

modo = nunc

v. 83 sq: *sterilis nimium nostri, ut modo sentio, cordis / exilem facile exhausit divisio venam.* — *Modo,* quod non, ut solet, nuper praeterita, sed praesentiam ipsam significat = *nunc,* quamquam perraro exstat, tamen iam in florenti latinitate, ut Plauti Terentiique locos incertos omittam, invenitur. Qui usus aetate posteriore a pluribus scriptoribus adamatus est, velut a Commodiano (cf. Löfst. Komm. 241), a Prudentio, Paulino Nolano, Orosio (cf. Svennung 153), Salviano (cf. Brakman p. 146).

praecipue

v. 198: . . . *quod praecipue plerisque videtur amarum.* — *Praecipue* dictum ad vim cuiuslibet adiectivi / cumulandam a scriptoribus probatis alienum, sermonis cottidiani proprium est: primum Hor. Epist. I 1, 108: *praecipue sanus,* tum Apul. m. V 2: *pr. mirificum.* Cf. Kühner II 1, 794, Wölfflin Kompar. 7 sqq.

primitus i. q. ante omnia, potissimum

v. 125 sq: *primitus hoc medicis suadentibus, ut mihi iugis / laetitia atque animo grata omnia prospicerentur.* — *Primitus* adverbium priscae latinitatis est, quod sermo vulgaris conservavit; legimus in Lucilii et Lucretii scriptis, saepius in Varronis rerum rusticarum libris, tum argentea aetate quae vocatur apud Val. Max., Suet., Petron., al.; a posterioribus, maxime ab Augustino et Ammiano adamatum est, cf. Neue-Wagner[3] II 740/41. — Quod ad sensum attinet, *primitus* idem est quod *primum* aut *primo* aut *inde ab initio.* Quem sensum posteriores, ut mihi videtur, amplificaverunt: *primitus* enim pro *ante omnia, potissimum* substituitur, ut e Paulini loco perspici potest. Locis, quos Neue-Wagner l. c. attulit, spectatis *primitus* hanc potestatem, quantum ego video, non ante Augustinum sibi asciscit, ut epist. XCIII 52: *quae si dici posset etiam in eos, qui veritatem correcti praedicant, quam perversi oppugnabant, in ipsum Paulum primitus diceretur, in quo . . . ,* ibid. CXLIII 4 i. f.: *ego autem iudices veros . . . magis intueor, inter quos et me ipsum primitus constituere volo . . . ,* ibid. CLVII 29: *haec si dicunt . ., non adtendunt primitus, quem ad modum dominus contra eorum dogma suam gratiam praedicaverit,* cf. indicem Goldbacheri CSEL LVIII. Haec verbi significatio viros doctos adhuc fugit. Compernass quoque (Glotta VIII 95), qui *primitus* voci *prius* e saeculo sexto se aequare probat, falso Caesariana aetate tantum idem ac *primum, primo, inde ab initio* valere censet.

v. 493: *primo* (sic Brandes, qui Barthum sequitur, B et P: *prima) socru ac matre dehinc et coniuge functa.* — *Prima,* quod in B et P exstat, contra Barthi coniecturam a Brandesio in textum receptam defendendum esse puto his rebus adducta: adiectivum adverbii loco praedicative usurpatum per se non est notione dignum; praecipue enim sermonis prisci vulgarisque

proprium est et poetarum, qui usui a Graeca lingua non alieno valde favent. Cf. Löfst. Komm. 213/14, Hofm. 467/68. Imprimis hic, ut constat, de adiectivis ordinem temporis locique notantibus agitur, quibus praeter alia adiectiva etiam Paulinus Pell. pro adverbiis pluribus locis utitur, velut v. 446: *praeveniendo prior multorum vota precantum,* v. 202 sq: *ingenioque / . . . prima meo mediocria desideranti,* alibi, cf. Brandesi indicem s. v. adiectiva pro adverbiis p. 321. Verum adiectiva correlata adverbiorum, ut *primus — deinde — tum* inusitata sunt. Consentaneum est solos locos observari, quibus adiectivum verbo attributum est, non locos, ubi praedicatum omnino ex eo (sc. adiectivo) formatur, ut Sall. Iug. 19, 3: *secundo mari prima Cyrene est . . . ac deinceps duae syrtes . . . , deinde . . . , post . . .* et al. sim., potissimum in Plinii nat. hist. Unus autem locus Paulini Pellaei simillimus mihi obvius fuit et quidem in posteriore latinitate: Tertull. Scorp. 13: *Paulus vero apostolus de persecutore, qui primus ecclesiae sanguinem fudit, postea gladium stilo mutans . . . , dehinc ipse adferens escam secundum Jacob, qualiter martyria . . . commendat.* Quo testimonio allato satis, ut mihi videtur, probari potest talem dicendi modum a posteriore latinitate non abhorrere, ut textus Paulini loci Barthı coniectura, quamquam ad normam sane redigeretur, tamen non emendaretur. — Adiectivum praedicativum participio additum, ut Paulini loco, fortasse a Graeco usu affectum (cf. Kühner-Gerth § 405, 2, Brugmann-Thumb § 490) inde a Lucretio et poetis Augusti aetatis legitur, in oatione soluta inde a Livio, etiam in posteriore latinitate, ut apud Fulgentium, cf. Hofm. 468, 2. Exempla Schäfler collegit Gräzism. d. aug. Dichter p. 61.

quam mox = quam primum

v. 371: *praestanda quae autem (scil. scirem) quam mox temptanda perurgens. — Quam mox* neglectum a scriptoribus probatis[1] primum vim interrogandi exclamandique habet et particula interrogativa in quaestionibus directis et indirectis a priscis nonnunquam usurpatur (Plt. Rud. 342, alibi; Enn. ann.

1. raro apud Cic. et Liv., cf. ALL X 29/30.

86; Terentii locos Iones profert ALL XIV 524). Augendi potestas, ut Paulini loco, iuncturae *quam mox,* etsi nullo alio testimonio adhuc, quantum equidem video, confirmata est, tamen bene congruit cum *quam* a posterioribus (inde ab Apuleio) libenter adhibito ad vim cumulandam adiectivi vel adverbii positive dicti = „möglichst"; quo usu fortasse exclamativum *quam* restituitur, quod a priscis adiectivis positive dictis libenter additur veluti Plaut. Asin. 581 *ut adsimulabat Sauream med esse quam facete,* a scriptoriptoribus probatis poetis exceptis fere alienum est, cf. Hofm. 463, 1, Antib. s. v. *quam* II 441. — Brandes in indice *quam mox* a posterioribus coniunctionem = *ubi primum* usurpari commemorat: Florus I 20, 2: *(Insubres) habent quiddam simile nivibus suis: quam mox caluere pugna, statim in sudorem eunt;* Ps. Cypr. de rebapt. 16 (III 90, 3 Hartel): *ut, quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis appareat.* Quibus locis *quam* difficile est intellectu ;Iones l. c. 529 primo *quam mox — tam mox* correlata se respexisse, tum similiter ac *quamdiu (—tamdiu)* partem alteram *tam mox* oppressam esse censet. Mihi quidem facilius videtur esse *quam mox* ordine verborum immutato natum esse e *mox quam,* quod saepius posterioribus temporibus apud iuris consultos sensu *ubi primum* exstat (v. Iones l. c. et Hofm. 736, 4). *Mox quam* facile intellegi potest ex analogia coniunctionum *postquam, antequam, priusquam, pridie quam, postridie quam.* Iunctura similis est *statim quam* posterioribus iurisprudentiae scriptoribus et ecclesiasticis usitata (cf. Iones l. c. 251, Kalb, Roms Juristen p. 136). Verba eodem modo transmutata a lingua Latina non aliena sunt: leguntur enim *mox ut* et *ut mox, mox cum* et *cum mox;* etiam *ut primum* et *primum ut,* cf. Hofm. 259, 2/3, ALL XIV 41 et 528.

quantocius

v. 409 sq.: *suasere moranti / linquendas patriae sedes quantocius esse. — Quantocius* pro *quam celerrime, quam primum* posteriores soli utuntur, ut Cassianus, popularis aequalisque Paulini Pellaei, panegyrici, al.; neque vero optimi scriptores posterioris latinitatis admittunt, veluti Lactantius et Cyprianus. Cf. Antib. s. v.

quoque = etiam

v. 251 sq: *cuius mihi cura tuendae / hoc quoque maior erat, quo iustior* = *hoc etiam maior.* — *Quoque* per se sensum augendi iam apud Plinium n. h. XXVIII 4 habet: *sanguinem quoque gladiatorum bibunt;* sed posterioribus demum temporibus loci exstant Paulini Pellaei simillimi, ut CIL VI 19055 (carm. epigr. 495, 2): *dulcis nomine erat, anima quoque dulcior usque,* Zeno Veronens. Tract. I 4, 5: *Ioseph . . . clarus genere, clarior pulchritudine, morum quoque clarissimus probitate,* v. Löfst. Komm. 138. Verum in iuncturis quibusdam ut *ne — quoque* et *quoque non* = *ne — quidem, quin quoque* = *quin etiam, non — sed . . . quoque* = *sed etiam* sensu augendi omnibus temporibus, raro a scriptoribus florentis latinitatis dicitur, cf. Hofm. 681, 4, Kühner II 2, 52/53, 66.

specialiter

v. 271 sqq: *mihi ante omnes specialiter . . . / iniecere manum mala.* — Et adverbium et adiectivum (apud Paul. Pell. v. 66, alibi) in argentea et posteriore demum latinitate vigent, imprimis apud posteriores veluti Tertull. et Ennod., cf. Antib. s. v. et Neue-Wagner[3] II 706. Vergilii loci conferendi sunt, quos Paulinus imitatur quibusque *specialiter* deest, Aen. V 540: *et primum ante omnis,* XI 416: *ille mihi ante alios.*

tamen = enim

v. 345 sqq.: *mihi . . ./ subrepsit, fateor, nimium trepido novus error, / + consilii + ut me . . . / urbe ab obsessa sperarem abscedere posse . . . , / hac tamen hos nostros spe sollicitante paratus, / quod scirem . . .* — Perspicuum est ablativum absolutum causam afferre sententiae antecendentis *subrepsit novus error, ut sperarem abscedere posse.* Cuius potestatis vocis *tamen* exempla certa tantum in posteriore latinitate inveniuntur, cf. locos, quos Löfstedt in commentario commemoravit p. 30, Salonius 340/41: Vulg. Gal. III 15, I. Cor. 14, 6/7, Commodian. II 8, 6; Firmic. Matern. II 13, 6, al.[1].

---

1. Cf. vernacule „doch“ causale praeter „doch“ adversativum (v. Löfst. l. c.) usurpatum.

Atqui Löfstedt initia usus locis quibusdam Lucretii et Ciceronis epistularum collatis ad multo priora tempora reducere vult; cf. etiam Linderbauer p. 243.

De vocis *tamen* vi deminuta.

v. 406: *sint tamen ista satis super his me esse profatum.* — Narratione interrupta poeta ad plane nova transit, *tamen* igitur in *sed* locum substitutum est (Graece ἀλλά). Quae adverbii *tamen* potestas a viris doctis adhuc neglecta, ut videtur, ad usum particulae copulativum obsoletum attinet, qui diversas notiones interdum difficiles intellectu habere potest, cf. Löfst. Komm. 27 sq. Sic *tamen* copulativum idem atque *autem* valens (Graece δέ), quod posterioribus usitatissimum est, (cf. Löfst. l. c., Salonius 339 sqq.), testimoniis certis inde a Petronio probatur (ad Plaut. Cas. 881 sqq. cf. Löfst. l. c. 29), v. Hofm. 672, 2. Ad Gregor. Tur. v. Bonnet 316/17. — E iunctura quoque *si tamen* sensu restrictivo posita v. 216 sqq: *sed potius, fateor, sectator deliciarum, / si qua tamen minimo pretio expensaque parari / . . . possent* vim adversativam vocis *tamen* deminutam esse intellegi potest = *si quidem, si modo.* Legitur primum in bell. Alex. 63, 5, tum inde ab Ovidio apud argenteae quae vocatur et posterioris aetatis scriptores late patet, ut pluribus locis apud Cassianum (v. Petschenigi indicem s. v. *si)* et Salvianum (cf. Schmalz, Berl. phil. Wochenschr. 1915, 1045).

De adverbiis numeralibus pro cardinalibus usurpatis.

v. 477 sq: *sacramenta recepi / ante hos ter decies super et his quattuor annos* (de lectione tradita *his* in textu retinenda cf. appendiculam p. 79 sqq). — *ter decies* = *ter decem* Veteres in cardinalium locum distributiva substituere inter omnes constat, cf. Kühner II 1, 661, Hofm. 493, 2. Praeterea posteriore aetate ordinalia cardinalium potestati subeunt, ut Oros. hist. VI 16, 8: *cum centesimo equite* = *cum centum equitibus,* v. Svennung Oros. p. 63 sq. Etiam adverbium pro cardinali dictum posterioris tantum latinitatis proprium et quidem a poetis metri causa adamatum esse videtur. Cum nusquam per se ipsum

adverbium numerale cardinalis vice fungatur, sed omnibus locis mihi notis numeri semper multiplicative componantur, iudicandum est cardinale se adaequare adverbio numerali, per quod multiplicatur. Qui usus praeter Paulini Pellaei locum mihi obvius fuit apud Cyprianum Gallum genes. 486 sq.: *servorum de grege multo / ter centum famulos, novies bis auctius addens / ad bellum dux ipse ciet,* (cf. autem M. Victoris locum Aleth. III 433 sq., quem Cypr. Gall. imitatur quique recte habet: *ter centum delegit omni / de grege bisque novem famulos)* et in carmine epigraphico Hispaniensi e Lusitania orto a. 593 p. Chr. n. = carm. Lat. epigr. ed. Bücheler 718, 4: *ter deciens quater in pace pertuli annos.* Notionem adverbiorum numeralium ambiguam esse alio quoque modo demonstrari potest: *bis* pro *iterum* dicitur argentea quam vocant aetate primum ad consules designandos, deinde vulgo a posterioribus, in primis a poetis. E contrario recentiore aevo primum in Itala *ter* a *tertio* vel *tertium* e loco summovetur, v. Hofm. 493, 4. Praeterea plures inscriptiones Galliae Narbonensis (Vienne s. VI.) notione dignae sunt, quae hoc modo annum designent: CIL XII 2086 v. 7/8: *obiet in pace p diae III kal. Augustas sepsies deces p. c. Basili v. c. c. inde . . .* (p. Chr. 558). ibid. 2087 v. 7/8: *obiit in pace hoctavo kal. Iunias hocsies decies p. c. Basili v. c. con. inde VIII.* (p. Chr. 559). ibid. 2094: *cuius depositio est VII idus Marsias tricies novies p. c. Basili v. c. c. ind. XII* (p. Chr. 579). Quibus locis adverbium numerale pro *anno* coniuncto cum ordinali poni apertum est; cf. ibid. 2096 v. 9: *anno LXVI p. c. Basili . . .*; sim. 2095 v. 12.

unde = quam ob rem

v. 79: *unde labor puero, fateor, fuit hic mihi maior.* v. 302 sq.: *unde ego non partes infirmi omnino tyranni, / sed Gothicam fateor pacem me esse secutum.* — *Unde* iunctura sententiarum relativa vel particula conclusiva sermoni puro deest, adhibetur argentea aetate quae vocatur a Quintiliano (cf. Bonnet 328 ann. 2) et posteriore tempore a iurisprudentiae scriptoribus, in primis a Papiniano (cf. Kalb p. 80), praeterera ab Hieronymo (Goelzer 424), saepe a Tertulliano (Hoppe 102), aliis, cf. Antib. s. v., Hofm. 492, 1, al.

De particulis redundanter positis.

(Suppl. c. XIV: de particulis p. 67). Cf. etiam quae supra de negationibus exposuimus p. 63.

etiam quoque

v. 118: *cepissemque etiam forsan fructum quoque dignum.* — Particulae redundanter dictae (et adverbia et coniunctiones) toti latinitati vulgari familiarissimae sunt, quae vocabula obsoleta, ut vi quadam nova afficiantur, aut geminare aut cum vocabulis similibus coniungere solet. Cf. Löfst. Komm. 59 sqq., id. Stud. 27 sqq., Beitr. 31 sqq., ubi exempla huius consuetudinis loquendi abundant. *Etiam quoque* aut *quoque etiam* Plauti et Terentii proprium est, deinde e priscorum imitatione apud Lucretium et Varronem, tum in Livii libris exstat; nonunquam apud posteriores legitur (Apul., Tertull., al.). Cf. Hofm. 686, 1.

quoque — et

v. 141: *qua ratione auctus noster quoque crevit et error.* — *Quoque et* raro obvenit[1], cf. locum posterioris latinitatis ab Hofmanno 685, 4 allato Vict. Vit. II 10: *addidit quoque et laboribus eos conterere rusticanis*[2]. Nonnulla exempla posterioris latinitatis vulgaris Pirson profert (Quomodo en latin vulgaire p. 67, Festschr. f. Vollmüller, 1908.

que et

v. 154: *quas (scil. inlecebras) inter fluitans interque et vota parentum.* — *que et* hoc loco pleonasmus esse mihi quidem videtur, quamquam Hofmann contra Konietznyum ALL XV 351 et Löfstedtum Komm. 61 ann. 1 paucis locis similibus, ubi — *que et* aut *atque et* exstat, *et* idem atque *etiam* valere

---

1. Cf. autem Vergilii locum Aen. I 5: multa quoque et bello passus, ubi Servius non recte, ut videtur, quoque et pleonasmum esse metri causa admissum iudicat.

2. Saepius et (= etiam) quoque legitur, v. exempla ab Hellmutho Act. Sem. Erlang. I 1878 p. 150 prolata, qui etiam Ciceronis Liviique locos optimis codicibus traditos m. s. iure defendit (de inv. II 50, Verr. II 1, 11. Liv. XXX 10, 15).

contendit. Quos locos diiudicare re vera difficile est[1], Paulini autem loco, quin — *que et* pleonasmum habeam, facere non possum. Ut omittam *inter interque e t = etiam,* ut Hofm. vult 685, 4, offensioni esse (neque vernacule dicimus „schwanken zwischen Verlockungen und a u c h zwischen den Wünschen der Eltern", neque Latine similia inveniuntur: iuncturae *inter et inter, inter atque inter, inter interque* solae in usu sunt), *que* redundans facile est intellectu: nam phrasis *inter interque* ita usitata (cf. Ps. Tibull. III 7 (IV 1) 165, Prop. II 31, 15) et quasi obsoleta erat, ut pleonasmus minime sentiretur.

Appendicula.
De versibus 474 et 478.

v. 474 *Post autem, exacta iam t e r t r i e t e r i d e quinta,*
rite recurrente statuto tempore pascha
ad tua, Christe Deus, altaria sacra reversus
te miserante tua gaudens sacramenta recepi
v. 478 *ante hos ter decies super et b i s quattuor annos* —

v. 474 cod. B: *tetreteride,* P: *trie- teride,* v. 478 B et P: *his.* Brandes v. 474 coniecturam Tillemont[2] *ter trieteride,* v. 478 *bis* pro *his* a Bartho propositum in textum recepit. Si lectio *ter trieteride* accipitur, etiam *bis* scribi necesse est: Paulinum enim octoginta tres annos natum esse, cum carmen componeret, e versibus 12 sqq colligi potest; quodsi v. 474 dicit *quadragesimo quinto anno vitae meae acto (= exacta iam ter trieteride quinta),* versum 478 *ante annos duodequadraginta* significare oportet, i. e. *ante hos ter decies super et b i s quattuor annos* legendum est. Quae si ita essent, primo mirum sane esse videretur scriptorem bis idem variis modis expressum dicere. Deinde ei,

---

1. Agitur de CIL VI 21279 sq: V e n e r i a f e c i t l i b e r(t o) b e n e m e r e n t i a t q u e e t d u l c i s s i m o e t n u t r i t o r i f i l i o r u m. ibid. 22073, sqq: p a t r i d u l c i s s i m o p i e n t i s s i m o a d q(u)e e t d i g n i s s i m o. Arnob 280, 14 R: v e s t r a c u m r e s i s t a s i t d e q u e v e s t r o n u m i n e v e s t r a q u e e t r e l i g i o n e t r a c t e t u r ..., id. 254, 17: q u i a ... h o s t i a s c e r t i s i u s e s t c o n s e c r a r e n u m i n i b u s c e r t a q u e e t s u p p l i c a m e n t a p r a e s t a r i; sim. ibid. 19.

2. Histoire des Empereurs V p 818.

qui locum legit integreque iudicat, verba, ut exstant, non ad aetatem scriptoris, ut Tillemont vult, sed ad id tempus referenda sunt, de quo paulo ante Paulinus disseruit, i. e. ad annos, quibus ei cum monachis summus usus erat. His consideratis ego quidem locum longe aliter interpretandum esse puto: vox *tetreteride* codice B tradita m. s. lectio vera est librarii neglegentia paululum obscurata, ut idem valeat ac *tetraeteride*. Compluribus enim aliis locis eodem omdo *e* pro *ae* exstat, ut paulo supra v. 461: *peregrine — tre = peregrinae — terrae,* paulo infra v. 479: *proprie = propriae.* Etiam *super et his* v. 478 mea quidem sententia defendendum est neque video, cur Barth *metri causa* (cf. Brandes prol. 276) pro *super et his* (= außerdem) verbis *super et bis* substituat. Littera enim *h* vim consonantis plus semel in Paulini carmine capit (cf. Brandesi indicem metricum; v. 598 simillimus est: *vita in hac).* Ergo scriptura tradita duobus locis in textu retenta haec leguntur:

v. 474: *exacta iam tetraeteride quinta*

v. 478: *ante hos ter decies super et his quattuor annos.*

V. 474 id spatium temporis denotari puto, quod Paulinus in pravis dogmatibus discendis consumpsit, cf. v. 470 sqq: *non digno fortasse pians commissa labore, / sed rectam servare fidem non inscius ipse, / errorum discendo vias per dogmata prava, / quae reprobans sociata aliis nunc respuo culpis.* Quibus verbis Paulinum Cassiani doctrinam illo tempore in Gallia meridiana florentem significare nemo est, qui neget. Secundum Brandesi rationem perspicuam (cf. editionis proleg. I.) Paulinus a. 459 carmen scripsit; quodsi triginta quattuor annis ante a Cassiano se avertit (v. 478), id a. 425 factum esse apertum est, postquam viginti annos (v. 474), i. e. ab a. 405 praecepta eius secutus est. — Qui anni, 405 et 425, quam bene cum Cassiani aetate congruant, breviter astringam: fere enim a. 405 Cassianum in Galliam venisse verisimile esse ex his colligi potest: constat Cassianum a Johanne Chrysostomo Constantinopoli diaconum ordinatum esse (cf. contra Nestor. VII c. 31, Gennad. vir. ill. 62; Petschenig prol. p. 8 CSEL XVII), quod fieri non potuit nisi ante a. 403, quo Johannes Chrysostomus in exilium mitteretur. Tum Cassianum Massiliam iter facientem, ut videtur, una cum Germano Romae

fuisse ex epistula papae Innocentii I. accipimus, cf. Migne patrolog. Lat. XX 501 sqq. e Sozom. hist. eccl. VIII 26 (Migne tom. 67). Hactenus de anno 405. — Ex altera parte conlationem XIII. *(de providentia dei),* ex qua in primis Cassiani dogma haeresim esse plane cognosci potuit, ante a. 426 confectam esse apertum est. In praefatione enim conlationum XI.—XVII. Honoratus, qui a. 426—429 episcopus Arelatis fuit, nomine fratris i. e. monachi appellatur. Paucis annis post (428—429) Prosper et Hilarius litem contra semipelagianismum movere coeperunt epistulas ad Augustinum mittentes (August. epp. 225 et 226), qui ipse duobus scriptis paulo ante mortem compositis *(de praedestinatione sanctorum* et *de dono perseverantiae)* Cassiani haeresim refutare conatus est. Iam a. 425, quo Paulinus se avertit, conlatione tertia decima prolata nonnullos a Cassiani dogmate descivisse valde credibile est. Contra Brandesi ratione accepta quibus causis commotus Paulinus a. 421 (quadraginta quinque annos natus secundum lectionem (v. 474) *exacta ter trieteride quinta)* se converterit, intellegi non potest, praesertim cum illo tempore Cassiani doctrinam aliquid offensionis habere nemo iam perspicere potuerit.

Vita.

Nata sum ego Charlotte Müller Berolinensis a. d. V id. Sext. anni 1905 patre Hugo, quem praematura morte mihi abreptum esse doleo, et matre Martha e gente Dowaldt. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum studiis in schola Berolinensi, quam „Dorotheen-Lyzeum" vocant, per septem annos imbuta inde a vere anni 1919 gymnasium Berolinense, quod" I. Städt. Studienanstalt" nominatur, quinque annos et menses sex frequentavi. Maturitatis testimonio autumno anni 1924 instructa civibus universitatis Berolinensis adscripta sum, ut studiis philologicis, archaeologicis, theologicis me darem. Proseminarii et seminarii philologici per terna semestria sodalis fui ordinaria.

Docuerunt me professores: Deissmann, Dessoir, Deubner, Fabricius, v. Harnack, Hiller v. Gaertringen, Jaeger, Lietzmann, Maas, Matz, Noack, Norden, Rieffert, Rodenwaldt, Ferd. Jak. Schmidt, W. Schulze, Sellin, Spranger, Titius, v. Wilamowitz-Moellendorff. Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago quam maximas, in primis Nordeno, qui ad hoc opusculum componendum animum meum incitavit.